



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Disp. IV. De consensu matrimonii,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

DISPUTATIO IV.

De consensu Matrimonii.

Ad quest. 45. Supplementi, & tres sequentes.

Consideratâ causâ ad matrimonium disponente, & ad illud prærequisitâ, nempe contractu sponſalicio, consequens est ut de causâ efficiente illius, nimirum consensu, cum S. Doctore differamus, ejusque necessitatem & qualitates, articulis sequentibus breviter declaremus.

ARTICULUS PRIMUS.

An ita ad matrimonium necessarius sit proprius conjugum consensus, ut nulla auctoritate humana vel divina sine illo fieri absolute nequeat?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententia.

Notandum primò, seu potius recolendum ex articulo primo primæ disputationis, matrimonium posse sumi dupliciter; nempe casualiter, pro ipso contractu quo conjuges libi mutuo tradunt dominium proprii corporis, in ordine ad copulam; & formaliter, pro ipsa conjunctione & vinculo quod sequitur ex tali contractu, in quo vinculo loco citato diximus essentiam matrimonij consistere.

2 Notandum secundò, seu potius supponendum ut certum & indubitatum apud omnes, quod si matrimonium sumatur primo modo, non potest ullo modo fieri sine consensu partium, cum contractus matrimonij, utriusque conjugis consensum includat formaliter, & causâ formalis nullo modo possit ab extrinseca causâ suppleri.

3 Tertiò supponendum est, consensum contrahentium esse ita necessarium ad matrimonium formaliter sumptum, ut dicat conjunctionem & vinculum, quod de lege Dei ordinaria sine illo esse non possit. Primò, quia effectus particularis non fit secundum legem Dei ordinariam, nisi concurrente causâ secundâ proximâ, ad eum secundum eandem legem ordinatâ, ut patet inductione: consensus autem viri & femine est causâ proximâ vinculi & obligationis matrimonij, per se ad illum ordinatâ, secundum legem Dei ordinariam. Secundò, quia matrimonium ita contrahi debet, saltem secundum legem Dei ordinariam, ut mutua charitas & benevolentia conjugum possit consistere, & conservari: Hoc autem ordinariè saltem fieri nequit, absque mutuo conjugum consensu: Ergo ille, saltem de lege ordinaria, necessariò ad matrimonium requiritur. Unde Nicolaus Papa ad consulta Bulgarorum, & refertur can. Sufficit 27. quest. 2. ait quod si solus in nuptiis consensus defuerit, cetera omnia frustrantur. Et Innocentius III. cap. Tu nos de sponſal. in fine affirmat matrimonium cum errore circa substantiam personæ contractum,

fuisse invalidum quia defuit consensus, sine quo cetera nequeunt saltem perficere conjugale. Item Florentinum in Decreto Eugenij dicit causam efficientem matrimonium (sumpti provinculo) esse mutuum consensum conjugum, regulariter per verba de præſenti expressum.

A Nec solum requiritur, de lege Dei ordinaria, consensus, matrimonium quâ contractus est, aut conjunctio & vinculum ex illo resultans, sed etiam quâ Sacramentum est. Primò quia hoc Sacramentum in contractu fundatur, unde ipse consensus, qui necessariùs est ad contractum, etiam necessariùs est ad Sacramentum. Secundò, quia nullum Sacramentum perficitur absque propria voluntate & intentione ministri: Sed contrahentes sunt ministri non solum contractus civilis, sed etiam Sacramenti matrimonij: Ergo sine illorum consensu, Sacramentum matrimonij, saltem de lege Dei ordinaria, perfici nequit.

B Solum ergo difficultas est & controversia inter Theologos, an matrimonium sumptum formaliter, ut dicat conjunctionem & vinculum, ita necessariò requirat proprium conjugum consensum, ut nullâ auctoritate divinâ vel humanâ, sine illo absolute fieri nequeat? Prima sententia negat id esse possibile tam respectu divinæ quàm humanæ auctoritatis. Ita Pontius lib. 2. cap. 3. Fillucius tract. 10. de matrim. part. 1. c. 3. n. 68. Sanchez lib. 2. de matrim. disp. 26. qui etiam citat supplementum Gabriëlis, & Adrianum, qui solum loquuntur de contractu matrimonij, non de vinculo ex tali contractu resultante. Secunda è contra asserit, non solum Deum de potentia absoluta, sed etiam potestatem humanam, Civilem, vel Ecclesiasticam, posse efficere vinculum matrimonij absque consensu conjugum. In hanc sententiam inclinare videtur Victoria in relectione de matrimonio parte, 1. n. 7. Tertia verò, quæ communis est apud Theologos, fatur quidem nullam auctoritatem & potestatem humanam posse sine consensu conjugum matrimonij vinculum efficere; asserit tamen Deum id posse, de absoluta potentia.

§. II.

Duplici conclusione vera sententia statuitur.

Dico primò, vinculum matrimonij, de potentia Dei absoluta, posse fieri, absque consensu ipsorum conjugum.

Hanc conclusionem multi probant hac ratione. Consensus viri & femine non est causâ formalis, sed effectiva vinculi matrimonialis, ut supra ex Florentino vidimus: Sed Deus potest supplere vicem ejus, sicut causâ efficientis creatæ: Ergo potest vinculum matrimonij absque conjugum consensu efficere.

E Verum hæc ratio multas instantias patitur, nam actus bonus est causâ efficiens meriti, & actus generationis relationis paternitatis, & quævis potentia vitalis est principium effectivum sui actus; & tamen Deus non potest meritum efficere absque proprio consensu merentis; nec relationem paternitatis in generante, absque proprio actu generativò; neque actionem vitalem, absque proprio influxu principij vitalis: Ergo ex eo quod consensus viri & femine non sit causâ formalis, sed tantum effectiva vinculi matrimonialis, non rectè colligitur, Deum absque con-

consensu ipsorum conjugum, posse tale vinculum efficere. Hac ergo ratione prætermisā,

7 Probatum conclusio hoc discursu: Ideo consensus viri & feminae requiritur ad vinculum matrimonij, quia in quolibet matrimonio vir transfert dominium sui corporis in potestatem feminae, & femina dominium sui corporis in potestatem viri. Sed Deus, non expectato conjugum consensu, potest dominium corporis feminae transferre in potestatem viri, & e converso, cum sit absolutus dominus humani corporis & totius hominis, & majorem habeat potestatem in corpora conjugum, quam habeant ipsi conjuges; sicuti potest res alias transferre de uno in alium, sine dominorum consensu, ut bona Aegyptiorum ad Israelitas. Ergo Deus de potentia absoluta potest vinculum matrimonij absque viri & feminae consensu efficere. Præsertim, cum possit facillime eos quos suā voluntate conjunxit, ad amorem mutuum excitare, & ad pacem atque concordiam perpetuam, multo majorem, quam si propriā voluntate contraxissent. Unde Sanchez non loquitur consequenter ad sua principia, cum disp. 26. num. 2. ait, Deum posse dare viro potestatem in corpus feminae, & e converso, absque illorum consensu; quia Deus habet maius dominium in conjugum corpus quam ipsimet. Cum ergo possint ipsi, eo quod sunt domini proprii corporis, dominium illud transferre; a fortiori poterit Deus.

8 Quod si queras, an Deus aliquando hoc fecerit; Respondet Victoria supra citatus, hoc fecisse in matrimonio Adami & Evæ, nec non in conjugio Oseæ & mulieris fornicariæ; idque quia Scriptura non commemorat, eos in matrimonium consensisse.

Verum, quamvis valde probabile sit, id in matrimonio Oseæ contigisse, ut indicat S. Thomas 1. 2. quæst. 100. art. 8. ad 2. ubi ait quod Oseas accedens ad uxorem fornicariam, vel mulierem adulteram, non est mæchatus, nec fornicatus, quia accessit ad eam quæ sua erat secundum mandatum Dei, qui est author institutionis matrimonij; non est tamen credibile, quod Deus eā autoritate & supremā potestate quam habet in humana corpora, ipsosque homines, in matrimonio illo quod aliorum exemplar & norma futurum erat, scilicet in matrimonio primorum parentum, usus fuerit, sed ad suavem Dei providentiam spectat, quod tale matrimonium, mutuo Adami & Evæ consensu factum fuerit. Adde quod, si dispensatio Verbi cum humanitate, non est facta sine consensu Beatæ Virginis, multo minus dispensatio primorum parentum, absque mutuo eorum consensu, quandoquidem ista erat onerosa, non verò illa.

9 Dico secundò, nullam potestatem humanam, Civilem, vel Ecclesiasticam, posse efficere vinculum matrimonij, sine consensu conjugum.

Hanc conclusionem probant aliqui ex eo quod si posset Respublica aliqua humana causare vinculum matrimonij, sine consensu partium, posset & eadem autoritate ipsum dissolvere, contra illud Matth. 19. Quod Deus conjunxit, homo non separet. At hæc ratio non urget, facile enim responderi posset, quod sicut ipsi conjuges habent potestatem ad causandum mutuo consensu vinculum matrimonij, sed non ad illud dissolvendum; ita Respublica humana, Civilis, vel Ecclesiastica, potest sine consensu partium, conjugali vinculo virum & feminam coniungere, quamvis postea tale vinculum dissolvere nequeat, eo quod

A illud sit jure divino, & Christi institutione iudiciale.

Alij probant, ex eo quod nulla Respublica potest conferre jus strictæ justitiæ in corpus alterius ad actum generationis. Verum cum possit Respublica conferre jus unum supra libertatem alterius, constituendo unum servum, alterum dominum, cur non poterit jus corporis unius transferre in alterum, & vice versâ, subindeque eos matrimonio copulare? His ergo rationibus prætermisissis, vel in sua probabilitate relictis.

Probatum conclusio hoc discursu: Vinculum matrimonij licet non dicat essentialiter autum animorum conjunctionem per mutuum conjugum amorem, ut patet in his qui divortio ducti sunt, illam tamen conaturaliter exigit, unde solus ille potest efficere vinculum conjugale, qui mutuum amorem & obsequium inter conjuges necessarium ad proles educationem potest in eorum cordibus excitare & causare. At nulla Respublica civilis & Ecclesiastica, potest mutuum illum amorem excitare & causare in cordibus hominum, sed solus Deus; cum ille solus habeat dominium in voluntates hominum, & omnipotentissimam inclinandum eorum quocunque voluerit potestatem, ut loquitur Augustinus: Ergo nulla Respublica, nec ullus Princeps secularis, vel Ecclesiasticus, potest sine consensu conjugum, efficere vinculum conjugale.

Confirmatur: Si daretur talis potestas in aliquo Principe vel Republica, esset in destructionem boni communis, per quæ enim talia matrimonia inter invitos & repugnantes facta essent causa adulteriorum, homicidiorum, divortiorum, & continuarum rixarum ac dissensionum, quæ ex defectu mutui amoris, & spontanea conjunctionis, perpetuo inter conjuges vigerent. Sed nulla potest dari potestas humana, quæ verget in destructionem boni communis; nam omnis humana potestas est propter bonum commune aut immediate collata a Deo, vel sponte translata in Principem a populo, qui non præsumitur transferre potestatem in Principem, quæ ipsorum communi bono adversetur, nec Deus eam concedere: Ergo nulla potestatem humanam, vinculum matrimonij, absque mutuo conjugum consensu, induci potest.

§. III.

Solvuntur objectiones.

Obijcies primò contra primam conclusionem: Matrimonium sumptum pro vinculo essentialiter vinculum mutui amoris: Sed vinculum mutui amoris sine consensu esse non potest. Ergo nec vinculum matrimonij.

Confirmatur: Matrimonium non est sola corporum, sed etiam animorum conjunctio: Sed animorum conjunctio sine consensu fieri nequit. Ergo nec matrimonium.

Ad objectionem respondeo, negando Majorem, matrimonium enim sumptum pro vinculo non consistit essentialiter in amore mutuo, per animorum & operum conjunctionem; sed in dominio utriusque conjugis in corpus alterius, in ordine ad copulam, mutuaque utriusque ad alterum obligatione & subjectione, vel potius in relatione inter conjuges, ex tali dominio & obligatione resultant, ut dicitur 1. 2. de claravimus unde de essentia vinculi conjugalis non est consensus, sed hic tantum est causa illius efficiens.

ut ait Florentinum in decreto Eugenij supra citato: Deus autem, cum sit supremus & absolutus corporum nostrorum dominus, nobis in seipsis & invicem, eorum dominium in alium potest transferre, subindeque matrimonij vinculum sine consensu conjugum reperiri.

Ad confirmationem, nego etiam Majorem, matrimonium enim in facto esse, non includit essentialiter mutuum animorum conjunctionem, cum illud perseveret in iis qui divortio disjuncti sunt.

15 Objicies secundò: Ita proportionaliter se habet vinculum matrimonij in ordine ad conjugatos, sicut vinculum voti solennis in ordine ad Religiosos: Sed istud sine voventis consensu nequit existere: Ergo nec illud absque viri & femine consensu.

16 Respondeo, datà Majori negando Minorem; quamvis enim votum solenne consistens essentialiter in promissione & traditione ipsiusmet Religiosi seipsum liberè donantis, non possit esse sine ipsius voventis consensu, secus tamen vinculum & obligatio sive subiectio ad Religionem, orta ex voto: Deus enim, p̄o supremo dominio quod habet in Religiosum, potest per se solus non minus illum subicere Religioni, quam ipsimet per votum proprium.

17 Objicies tertio: De potentia Dei absoluta nequit dari relatio absque fundamento: Sed vinculum matrimonij est formaliter quædam relatio inter conjuges, cujus fundamentum est mutuum contrahentium consensus: Ergo matrimonij vinculum absque mutuo conjugum consensu nequit existere.

18 Respondeo mutuum contrahentium consensus, non esse solum & unicum fundamentum istius relationis, loquendo de potentia absoluta: potest enim, de absoluta Dei potentia, dari aliud fundamentum sive ratio fundandi talem relationem, nimirum voluntas divina, quæ non minus potest mutuum corporum dominium transferre in conjuges, per suum decretum, vel præceptum, quam ipsimet conjuges per suum consensus; cum Deus majus dominium habeat in conjugum corpus, quam ipsimet.

19 Dices, Licet Deus possit tradere corpus femine viro, & corpus viri femine, per absolutum & supremum dominium quod habet in utrumque, id tamen deberet necessario fieri, scientibus & volentibus illis: Ergo implicat matrimonij vinculum esse, absque proprio conjugum consensu. Consequentia patet, Antecedens probatur. Nullum jus potest alicui acquiri, licet possit auferri, ipso invito; implicat enim aliquid esse meum, sine meo consensu: Ergo &c.

20 Respondeo, negando Antecedens, potest enim Deus dominium rei alicujus transferre in alium, sine ipsius domini consensu & noticia; si enim hoc præstare possunt jura humana, & Principes sæculares, ut constat ex l. 32. ff. de acquir. rerum dominio, ubi sic dicitur: *Etiam in viis nobis, per servos nostros acquiritur dominium*, à fortiori Deus qui plenum & absolutam habet potestatem in voluntates nostras, potest nobis conferre jus in aliquam rem, absque noticia & consensu nostro, subindeque tradere corpus femine viro, & corpus viri femine, ipsis nescientibus, & non consentientibus. Et quamvis non possent in eo casu conjuges accedere licite ad copulam, sine prævia noticia talis traditionis,

Tom. V.

A non tamen opus esset, ut actu expresso illam acceptarent, sed sufficeret, quod ei positive non dissentirent. Si vero positive dissentirent, peccarent quidem habendo copulam cum tali dissensu, sed talis copula non esset fornicaria, quia non esset accessus ad non suam; neque corpus unius esset reverà alienum respectu alterius.

Objicies quartò contra secundam conclusionem: Idèò potest Deus aliquos vinculo matrimoniali conjungere, absque eorum consensu, quia habet dominium in corpus humanum: Sed Principes Ecclesiastici & sæculares habent dominium in corpora quorundam; eorum nimirum quos propter delicta possunt privare vitâ, & omnibus bonis: Ergo possunt, ipsis invitis, transferre in alios dominium corporis eorum per matrimonium.

B Respondeo negando paritatem: Disparitas est, quòd non idèò præcisè possit Deus, utendo sua potentia absoluta, facere vinculum matrimonij inter virum & feminam, absque eorum consensu, quia habet in sua potestate eorum corpora, sed quia habet insuper potestatem super earum animas & corda, & consequenter potest eorum quos cogeret ad matrimonium animos ita immutare, ut libenter remanerent in tali conjugio, & mutuam charitatem, ad finem matrimonij necessarium haberent; quod tamen nequeunt Principes Ecclesiastici, vel sæculares, ob rationem oppositam; quia nimirum habent quidem in sua potestate corpora, sed non animos & corda suorum subditorum.

C Objicies quintò: Respublica vel Princeps potest invitò cives cogere ad aliquos contractus ineundos, ut ad vendendum frumentum tempore necessitatis, vel ad seipsum in servitutem propter bonum Reipublicæ redigendos; & tamen illi etiam contractus requirunt ex natura sua consensum contrahentium, graviusque est vinculum servitutis, præsertim perpetuæ, quam vinculum matrimonij: Ergo & ad contrahendum matrimonium potest invitò cives Respublica cogere.

D Respondeo, concessio Antecedente, negando consequentiam & paritatem: Discrimen est, quòd in aliis contractibus sive fiant per voluntatem propriam, sive per voluntatem Reipublicæ, ad cujus etiam bonum universale ordinantur, semper sequitur idem effectus, & idem bonum universale Reipublicæ. At verò contractus matrimonij, si fiat contra voluntatem contrahentium, cogente Republica, non sequitur idem bonum & effectus: nempe mutua dilectio, mutuum obsequium inter conjuges, necessarium ad commodam proles educationem.

Objicies sextò: Urgente necessitate potest Summus Pontifex aliquem cogere ad acceptandum Episcopatum, in quo est matrimonium spirituale inter Episcopum, & Ecclesiam, ut docet Evaristus Epist. 2. de Episcopis ejectis, tomo 1. Conciliorum, his verbis: *Sacerdotes vice Christi legatione funguntur in Ecclesia; & sicut ei sua commissa est sponsa, id est Ecclesia, sic Episcopis iunguntur Ecclesia, unicuique pro portione sua. Et sicut vir non debet negligere uxorem suam, sed diligere, & castè custodire, & amare, atque prudenter regere: sic Episcopus, & multo magis custodire, & amare, atque prudenter regere debet Ecclesiam. Et uxor, quæ sub manu est viri obedire debet viro suo, eumque diligere & amare, ita potius etiam Ecclesia Episcopo suo in omnibus obedire, eumque diligere & amare ut ant-*

A a a a

man

man suam debet, quia illud fit carnaliter, istud spiri-
tualiter: Ergo à fortiori potest Summus Ponti-
fex, vel Princeps secularis, imponere præce-
ptum alicui ut contrahat matrimonium; pro-
pter aliquod maximum bonum Ecclesie, vel
Reipublice: Sed qui præcepto adigitur ad ma-
trimonium inendum, non sponte, sed coactè in
illud consentit: Ergo Princeps Ecclesiasticus, vel
secularis, potest invitò cogere ad matrimo-
nium inendum.

26 Respondeo, concessio Antecedente, & primâ
Consequentia, negando Minorem subsumptam;
præceptum enim non imponitur ut inviti & co-
acti matrimonium ineamt (tale enim præce-
ptum destrueret naturam matrimonij, quod ma-
ximè spontaneum & liberum esse debet) sed ut
inducantur ad matrimonium liberè & sponta-
neè contrahendum. Unde magnum est discrimen
inter hoc matrimonium, & illud quod solâ
Principis voluntate fieret; nam hoc fit sponta-
neo & libero conjugum consensu, & præceptum
solum est causa extrinseca impulsiva ad talem
consensum præstandum, qui dum præstatur, li-
berè & sponte præstatur: quod autem solâ Prin-
cipis Ecclesiastici, vel secularis auctoritate, ob-
luctante voluntate contrahentium fieret, non
esset spontaneum & liberum, cum nequeat li-
berum & spontaneum esse, quod solâ extrinsecâ
voluntate alterius fit.

27 Dices, Ecclesia videtur usâ fuisse hac potesta-
te, quando in cap. *Is qui fidem*, de sponsal. statuit
sponsalia transire in matrimonium, per copu-
lam, & cum cap. *Finali*, de conditionibus appo-
sitis, decrevit matrimonium sub conditione im-
possibili contractum, esse validum; nam qui con-
trahit sub conditione impossibili, non habet ani-
mum adhibendi consensum: Ergo Ecclesia habet
potestatem, validum faciendi matrimonium
absque consensu contrahentium.

Sed nego Consequentiam, Ecclesia enim in
illis casibus præsumit verum consensum fuisse
reipsâ datum; & in primo quidem conjuges ha-
buisset copulam affectu maritali; in secundo, pro
nihilò in negotio tam serio & tanti momenti,
habuisse conditionem de impossibili, contractui
matrimoniali adjectam; si tamen in illis casibus
revera nullus sit consensus, non est verum ma-
trimonium, sed præsumptum duntaxat, ut patet
ex cap. *Finali*, de sponsa duorum.

ARTICULUS II.

*Utrum consensus ad valorem matrimonij res-
quisitus, debeat esse verus, & verbus, aut
signo aliquo exteriori expressus?*

§. I.

Prima difficultas resolvitur

28 Dico primò, consensus ad validitatem matri-
monij requisitus, debet esse verus, unde ad
illius valorem consensus fictus non sufficit.

Hanc conclusionem probant aliqui ratione
generali, desumpta ex eo quod omnis contractus
humanus & civilis requiratur ad sui valorem ve-
rum consensum & non fictum; est enim (in-
quunt) contractus aliqua privata lex per quam
contrahentes sibi obligationem imponunt ad

aliquid præstandum; unde sicut repugnat totâ
obligationem ex lege, per quam legittimo con-
tractum obligare, cui deficiat verus consen-
sus; est enim (inquit Baldus) con-
sensus in contractu, sicut anima in corpore.

Verum hanc rationem non probant Vazquez, &
Pontius, & alij, existimantes in multis contrahen-
tibus humanis, putâ in emptione, venditione,
permutatione, & aliis hujusmodi, non requiri
necessariò verum consensum, sed sufficere fi-
ctum, modo seria verba ex parte fidei contrahen-
tis interveniant: unde ut ab hac questione de
controversia abstrahamus, probatur conclusio
ratione speciali, petita ex natura contractus
matrimonialis; cum enim in matrimonio ha-
bitudo rei maximè propria, nempe proprii
corporis in ordine ad actum conjugalem, non
convenit contractum matrimoniale aliter fieri,
quàm propriâ cuiusque voluntate: ideo quod
alij contractus, quibus res extrinsecâ, & bonâ
tunc traduntur vel committuntur, non requi-
rant verum consensum, sed fictus sufficit, ut
Vazquez, & Pontius existimant. Item, Matrimo-
nium est vinculum quoddam mutui atque
perpetui amoris, & animorum, corporumque
coniunctio, juxta illud Genes. 2. Propter hoc
derelinquet homo patrem suum, & matrem, & adheret
uxori sue &c. Sed repugnat mutuum amorem
esse sine vero affectu atque consensu: Ergo &
matrimonium.

Ex his inferes, eum qui fidei contraxit matri-
monium, teneri, ex iustitia verè contrahere, &
fictum consensum in verum commutare; tum
quia contractus matrimonialis, cum consistat in
mutua corporis traditione & commutatione, ex
parte utriusque contrahentis, exigit verum con-
sensum; tum etiam, quia ille qui fidei contraxit,
communi & injuriâ gravem alteri parti inno-
vit, quam non potest aliter reparare, quàm con-
sensu ficto in verum mutato, illam accipiendo
in conjugem; non potest enim matrimonium si-
mulatum, publice & in facie Ecclesie contra-
ctum, dissolvere, allegando suam fidem, seu
fictum consensum; quia Ecclesia nec tenetur nec
debet illi fidem præstare, tum ne animam præbeat
plurima matrimonia valde contracta dissolven-
di, si facilis esset hujusmodi privatis probatio-
nibus admittendis; tum etiam, quia quâ faci-
litate deceptor mentitus est in ipso contractu ma-
trimonij celebrando, eâdem tentendus erit
mentiri in eo dissolvendo.

Sunt tamen aliqui casus, in quibus non tenen-
tur deceptor fictum consensum in verum com-
mutare, validumque efficere matrimonium.
Primò si deceptor signa deceptionis decessit, te-
que consensum fingere satis significaverit, nam
tunc altera pars non tam ab ista fide decepta,
quàm seipsam decepit; sibi que debet imputare
dammum quod sponte subijt. Secundo, si decep-
tor ipse notabiliter a decepto sit deceptus, ut si
mulier finxit se virginem, nobilem, civem, &
hâc in uxorem non ducendam; tunc cum decep-
tio unius, compensatur deceptione alterius.
Tertiò, si ex revalidatione matrimonij prævi-
deat pessimos exitus, & mala non parva proba-
biliter futura. Nisi forte damna & incommoda
ex ficto matrimonio oritura, præponderent in-
commodis & damnis ex matrimonio revalida-
to secuturis. Denique, si deceptor, & notabilis dam-
nali vitandi gratiâ consensum finxit, non re-
parat

tur postea verum adhibere consensum; quia A tunc non iniuste, sed ex iusta causa illum finxit.

32 Notandum verò, quod ut deceptor obligationi suae satisfaciatur, & valide contrahat matrimonium cum parte decepta, debet non solum elicere verum consensum internum, sed etiam illum externo signo manifestare; quia, ut dicemus conclusionem sequenti, non sufficit ad matrimonium verus consensus internus, nisi externo aliquo signo manifestetur: Atqui verus consensus modò elicitus, non fuit expressus per signum externum prius exhibitum, cum fide contraxit; nam ille fuit signum fidei consensus duxtaxat: Ergo B est opus novo signo externo.

33 Notandum etiam, quod quando matrimonium fuit ab initio invalidum ex fidei consensu unus ex contrahentibus, non sufficit ad illud revalidandum ponere verum consensum ex parte eius qui fidei contraxit, sed requiritur insuper consensus alterius conjugis, qui verè contraxit, signo aliquo externo expressus; licet enim opposita sententia asserens in eo casu sufficere ut qui fidei contraxit, suum renovet consensum, eumque signo aliquo exteriori declaret, probabilitate non careat, pluresque habeat illustres patronos & defensores; ista tamen videtur probabilior, ob auctoritatem Clementis VIII. qui ut testatur Comitulus lib. 1. moral. resp. 5. qu. 1. interrogatus à Patre Stephano Tuccio, an in eo casu quo femina fidei contraxit ad revalidandum matrimonium sufficiat quod illa ponat verum consensum, eumque signo aliquo exteriori manifestet? Respondit, *Necessarium esse novum consensum utriusque coniugis, coram Parocho & testibus, admonito prius marito de matrimonij nullitate. Sed ad evitandum scandalum, Sanctitas sua dispensat, ut secundo inter se contrahant, renovato consensu, cum legitimatio prolis.* Et licet responderi possit, quod Pontifex in hac sua responsione secutus fuerit sententiam tutiorem, sicut dicendum est quoad alteram partem responsi, quæ asserit necessarium esse ad valorem talis matrimonij, utrumque conjugem iterum coram Parocho & testibus reperere & significare suum consensum; cuius tamen oppositum declarasse Pium V. refert Navarrus in Summa cap. 22. n. 70. ut dicemus articulo sequenti. Quia tamen quoad id de quo agimus in presenti (nempe quoad revalidandum tale matrimonium, necessarius sit consensus utriusque conjugis, signo aliquo exteriori expressus) non habemus contrariam alterius Pontificis declarationem, propter hanc Clementis VIII. sententia est hæc sententia probabilior.

Ratio etiam suffragatur: Cum enim qui fidei consensit, per ipsam fictionem reddiderit se possidere inhabilem transferendi dominium sui corporis in alium, qui verè consensit, consensus istius, licet verus & sincerus, fuit tamen inhabilis ad matrimonium, utpote præstitus personæ inhabili, cadens in materiam inhabilem & illegitimam; quare ut revalidetur matrimonium, ille debet ponere novum consensum, illumque signo aliquo exteriori exprimere, subindeque necessarius est novus consensus ex parte utriusque conjugis, ut ait Pontifex. Unde, iuxta hanc sententiam, non potuit in hoc dispensare.

Tom. V.

sen efficere ut illius tantum consensus sufficeret qui fidei contraxit; sicut dispensare potuit, & de facto dispensavit in hoc quod utriusque conjugis consensus coram Parocho & testibus manifestaretur; quia istud repugnat solum legi Ecclesiasticæ in Concilio Tridentino sancitæ; illud verò est contra substantiam matrimonij; quam Ecclesia tollere vel mutare non potest.

§. II.

Aliæ difficultates resolvuntur.

Dico secundò, non sufficit ad matrimonium 34 solus consensus internus, sed requiritur essentialiter externum signum, sufficienter expressivum interioris consensus. Est contra Cujacium in cap. *Tua fraternitati*, de sponsal. ubi sentire videtur, ad matrimonium ex natura rei sufficere solum consensum internum, & verba illum exprimentia, non requiri nisi ex præcepto Ecclesiæ. Præcipuum ejus fundamentum sumitur ex verbis Innocentij III. qui in prædicto capite sic loquitur: Nos (inquit) *inquisitioni tue respondemus, quod matrimonium in veritate contrahitur per legitimum viri & mulieris consensum: sed necessaria sunt, quantum ad Ecclesiam, verba consensus exprimentia de presenti.* Addi potest caput, *Cum locum*, ubi Alexander III. affirmat matrimonium solo consensu contrahi. Et caput sufficit, 27. quæstione 2: ubi Nicolaus I. sic ait: *Sufficiat secundum leges solus eorum consensus de quorum conjunctionibus agitur.*

Nostra tamen conclusio communis est apud 35 Theologos, eamque expressè docet Sanctus Thomas hic quæstione 45. articulo 2. in corp. his verbis: *Dicendum quod conjunctio matrimonialis fit ad modum obligationis in contractibus materialibus.* Et quia materiales contractus non possunt fieri, nisi sibi invicem voluntatem suam verbis promant qui contrahunt (aut aliis signis æquivalentibus) ideo etiam oportet quod consensus matrimonium faciens verbis exprimat.

Ratio etiam suffragatur, primò quia matri- 36 monium essentialiter & ex natura rei, est contractus humanus mutue traditionis & acceptionis corporum: Sed contractus humanus postulat ex natura sua, ut fiat aliquo signo humano & sensibili; nam per talem contractum homo agit cum homine ut homo, hoc est ut constans ex anima & corpore: Ergo per actum utriusque partis; alioquin si ageret solum per actum internum, non ageret ut homo, sed ut Angelus.

Secundò quia ad matrimonium requiritur 37 verus & proprius consensus: Sed ut dicunt Abbas, Præpositus, & alij Canonistæ, in cap. *Tua de sponsal.* non est proprius consensus, nisi mutuo innoscatur, sed tantum simul sensus; consensus enim duorum esse non potest, nisi sciant se idem sentire: Ergo ad matrimonium essentialiter requiritur ut consensus internus signo aliquo externo & sensibili exprimat.

Tertiò, Matrimonium, ut sacramentum, 38 essentialiter requirit signum sensibile expressivum interioris consensus; quia de ratione sacramenti novæ legis est, ut consistat in aliquo sensibili, quod sit ejus materia, vel forma, ut constat ex dictis de Sacramentis in genere: Er-

go etiam ut civilis contractus essentialiter exigat signum aliquod externum, quo interior consensus manifestetur. Consequentia patet, quia Christus elevans matrimonium in Sacramentum, nihil addidit supra contractum civilem, sed in suam naturam relictum, ad dignitatem Sacramenti exivit, ad quam non potuisset vehi, si aliquo signo sensibili non constaret. Unde

39 Ad caput *Tuae fraternitatis*, quod est praeceptum Cujacii fundamentum, dicendum est, Innocentium ibi non negare ad matrimonium requiri aliquod signum consensus interni, sed potius nomine consensus legitimum illud comprehendere; tantumque affirmare, verba proprie dicta, & ore prolata, non esse necessaria: Nam (inquit) *surdus & mutus possunt contrahere matrimonium, per consensum mutuum, sine verbis*, nutibus scilicet, vel aliis signis externis, quae suppleant vicem verborum. Subdit verò, verba consensus exprimentia, esse necessaria quantum ad Ecclesiam, ut scilicet melius illi constet de consensu interno, faciliusque probari possit in foro exteriori, si de illo contentio oriatur. Cum verò Alexander III. & Nicolaus I. dicunt ad matrimonium sufficere consensum, vel illud contrahi solo consensu, non excludunt signum externum consensus interni expressivum, sed duntaxat coactionem, aut metum, & volunt, matrimonium coactum, vel gravi metu contractum, non esse verum matrimonium, ut constat ex verbis Alexandri cap. *Cum locum citato*, ubi sic ait: *Cum locum non habeat consensus, ubi metus vel coactio intercedit, necesse est ubi consensus cuiusque requiritur, coactionis materia repellatur. Matrimonium autem solo consensu contrahitur, & ubi de ipso queritur, plenè debet securitate ille gaudere, cuius est animus indagandus; ne per timorem dicat sibi placere, quod odit; & sequatur exitus, qui de vitu nuptius solet provenire.*

40 Ex dictis colligitur, verba non esse necessaria ad matrimonium, sive ut contractus, sive ut Sacramentum est; sufficit enim ad valorem contractus matrimonialis expressio consensus interni, per aliquod signum externum, quo homines sibi invicem voluntatem suam manifestant. Unde Innocentius III. de sponsal. cap. 23. dicit: *mutos contrahere posse valide matrimonium; quia possunt signis declarare, quod verbo nequeunt exprimere.* Et Florentinum in decreto Eugenii, agens de Sacramento matrimonij dicit: *regulariter fieri per verba de praesenti, hoc adverbio, regulariter, significans posse aliter fieri; & verba licet communiter & ordinariè adhibeantur, non esse tamen adeò necessaria, ut sine illis contractus non possit, signis videlicet & nutibus, quae pro verbis reputantur.*

41 Si autem queras, quanam signa sufficiant ad exprimendum mutuum conjugum consensum, & ad valde contrahendum matrimonium? Respondeo, Doctores pro huius difficultatis resolutione, hanc regulam generalem statueret: Quoties signum ex natura sua, vel ex iuris dispositione, aut regionis vel patriae consuetudine, est certa nota interni affectus conjugalis erga sponsum, vel sponsam, sufficit ad matrimonium. Talis est, in quibusdam locis, annuli traditio, quae & subarrhatio dicitur, praesertim

A (ut notat Sanchez disputatione 22. num. 40) si annulari digito imponatur, ad quem, ut dicitur, protenditur; venula quaedam ex corde protenditur; subindeque annuli imponitur, pallo digito facta, signum est cordialis affectus, quo mutuo conjuges sese diligunt. Item portio manus interdum est sufficiens signum interni consensus in matrimonio; si enim vir exprobat consensum matrimonij, dicens: *non habeo uxorem*, aut vult se non habere in uxorem; ipsaque manum porrigit, vel vel ab illo apprehensam non retrahit, arguitur, illam matrimonio consentire. Traditio etiam solemnis sponsae in domum sponsi, in aliquibus locis, consensum in matrimonium significat, ut apud Astures accepisse testatur Covarruvias. Similiter ante Tridentinum sponsa de futuro, transibant in matrimonium, per copulam, unde illa erat sufficiens signum consensus de praesenti. Sed tale signum cessat post Tridentinum, ubi ipsius decretum de reformatione matrimonij est acceptatum; eo quod, si talis decreti, debeat signum ipsum quo interior consensus exprimitur, & matrimonium contrahitur, coram Parocho & testibus exhiberi.

Demum ad valorem matrimonij, & expressionem consensus interni, sufficit interdum circumstantia; quando scilicet viro exprimentis suum consensum, & patre, vel matre, aut alio curam puellae gerente, illi respondente, ac tacite affirmante, puellam quoque consentientem, tacite illa, & tacite approbat responsum; tunc enim habet locum regula illa juris: *Qui tacet, consentit* videtur.

Notandum verò, quòd licet talia signa sufficiant ad declarandum consensum, & ad contrahendum matrimonium, convenientius tamen est, ut verbis exprimat consensum, quod fieri potest; quia sic melius innotescit, & facilius probari potest. Imò aliqui existimant, verba in valentibus loqui necessaria esse, necessitate praecepti Ecclesiastici, idque colligitur ex capite *Tuae fraternitatis*, de sponsal. ubi verba ad contrahendum matrimonium dicuntur necessaria, quantum ad Ecclesiam, id est, ut supra cum multis Doctoribus explicavi, quòd prohibitionem quae debet Ecclesiae constare: Videtur igitur Ecclesia, verba in matrimonio praecipere, ut per ea illud certius sibi constare possit, & ut omne periculum dubij matrimonij tollatur, cum non omnia signa certa sint, sed aliqua obscura, aliqua ambigua, & alia minus certa. Quae sententia probabilitate non caret, licet alij Theologi communiter existimant, illud non cadere sub praecepto Ecclesiae, esseque tantum peccatum veniale, absque necessitate non nisi verbis in celebratione matrimonij, illudque solum nutibus & signis contrahere.

ARTICULUS III.

An iure veteri Ecclesiastico, vel novo, per Tridentinum inducto, irritentur matrimonia consensu clandestino facta?

43. Certum est, spectatā solā rei naturā, & semota constitutione Ecclesiastica, vel civili, consensum clandestinum esse sufficientem ad valorem matrimonij, ut docet D. Thomas hic qu. 45. art. 5. probatque ex eo, quod consensus de presentē inter legitimas personas matrimonij facit, aliaque omnia sunt tantum de solemnitate, & ad hoc adhibentur, ut matrimonium convenientius fiat, unde licet omittantur, verum est matrimonium. Idem etiam docet expressē Tridentinum sess. 24. in decreto de reform. matrimonij cap. 1. initio, affirmans non esse dubium, clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata & vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit.

44. Certum etiam est, matrimonia clandestina fuisse semper ab Ecclesia prohibita, adeoque fuisse semper illicita inter Christianos, ut docet idem Concilium capite cit. sic dicens: *Sancta Dei Ecclesia ex iustissimis causis illa semper detestata est, atque prohibuit.* Idem etiam patet ex decreto Hormisdæ Papæ, relatō causā 30. qu. 5. his verbis: *Nullus fidelis, cuiusunque conditionis sit, occulte nuptias faciat, sed benedictione acceptā a sacerdote, publicē nubat in Domino.* Et Innocentius III. cap. 3. de clandest. despons. *Prædecessorum* (inquit) *nostrorum vestigijs inherendo, clandestina conjugia penitus inhibemus, prohibentes etiam, ne quis Sacerdos talibus interesse presumat.* Solum ergo difficultas est, an talia matrimonia initio Ecclesiæ fuerint non modo prohibita & illicita, verum etiam invalida, vel saltem per Tridentini decretum potius irritentur? Pro resolutione sit

§. I.

Duplici conclusione utraque difficultas resolvitur.

45. Dico primò, ante Tridentinum matrimonia clandestina nunquam fuisse invalida. Est contra Pontium, & quosdam alios, existimantes ea fuisse invalida à tempore Apostolorum usque ad tempora Hormisdæ Papæ, qui sedet anno 514. vel etiam usque ad tempora Pelagij, qui Ecclesiam rexit anno 555. præcipuum ipsorum fundamentum sumitur ex decreto Evaristi, relatō cap. *Aliter* 30. qu. 5. in quo Pontifex clandestina matrimonia appellat adulteria, contubernia, stupra, fornicationes, quia nimirum ea irritaverat. Unde Concilium Colonienſe sub Paulo III. celebratum parte 7. cap. 47. hæc habet: *Oportandum ut canon Evaristi Pontificis Concilio generali renovetur, tollanturque illa clandestina matrimonia, quæ invitis parentibus ac propinquis, veneris potius quam Dei causā contrahuntur. Interea verò donec Ecclesia de hoc prospiciat, si non irrita, prohibita saltem sint.*

46. Nostra tamen conclusio communis est apud Theologos, illamque docere videtur Tridentinum cap. 1. decreti de reform. matrim. verbis supra relatis, quibus ait: *Dubitandum non esse, clandestina matrimonia, rata & vera fuisse, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit, his enim verbis*

A innuere videtur, Ecclesiam nunquam ante illud Concilium irrita fecisse clandestina matrimonia.

Addo, quòd si fuisset lex aliqua Ecclesiastica, quæ ante Tridentinum matrimonia clandestina irritasset, huius haud dubiè Concilium fecisset mentionem, eamque se renovare declarasset (sic aut paulò post, loquendo de proclamationibus matrimonio præmittendis, ait se quoad illas renovare decretum Concilij Lateranenſis sub Innocentio III.) Præsertim, cum non deessent ex Patribus, & ex Doctoribus Concilij, qui dubitarent, esse Ecclesia matrimonia clandestina irritare, & materiam aut formam Sacramenti matrimonij aliquo modo immutare, ut videre est in actis Concilij, & apud Spondanum ad annum Christi 1563. Unde

B Ad auctoritatem Evaristi supra adductam, 47. dicendum, illum matrimonia clandestina appellasse adulteria, stupra, fornicationes, in foro duntaxat externo, in quo Ecclesia ea non præsumit valide contracta, eo ipso quòd contra ipsius prohibitionem celebrata sunt. Eodem modo explicari possunt Patres Concilij Colonienſis, vel responderi potest, Consilium dixisse id, quod supra retulimus, non definiendo, sed quorundam Doctorum sententiam, ut probabilem sequendo.

C Dico secundò, Jure novo per Tridentinum 48. inducto, matrimonia clandestina irrita esse. Patet ex Tridentino sess. 24. decreto de reform. matrim. cap. 1. ubi sic dicitur: *Qui aliter, quam præſente Parocho, vel alio sacerdote, de ipsius Parochi, seu Ordinarij licentia, & duobus, vel tribus testibus matrimonium contrahere attentaverit, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddidit, & huiusmodi contractus irritos & nullos esse decernit, prout eos præſenti decreto irritos facit & annullat.* Ex quibus liquet, Tridentinum matrimonia clandestina irritare, & nomini clandestini matrimonij illud intelligere, cui non interest proprius Parochus, aut alius Sacerdos de ejus licentia cum duobus saltem testibus; unde licet publicè coram alijs multis matrimonium contrahatur, si tamen fiat sine præſentia Parochi & testium, clandestinum cenſetur ab Ecclesia.

§. II.

Solvitur difficile argumentum, & breviter explicatur, quæ ratione Tridentinum matrimonia clandestina irritare poterit.

E Circa prædictum Tridentini decretum gravissima est difficultas, quomodo potuerit Ecclesia matrimonia consensu clandestino facta irritare; cum enim matrimonium sit Sacramentum, cuius materia & forma sunt ipsi consensus conjugum verbis vel alijs signis expressi, ut disput. 2. ostendimus, & Ecclesia non habeat potestatem mutandi materias & formas Sacramentorum (hoc enim est proprium potestatis excellentiæ quæ est in Christo) non videtur, quæ ratione Ecclesia potuerit facere quòd consensus clandestinus, qui ante Tridentinum erat sufficiens materia & forma matrimonij, non sit amplius sufficiens materia & forma illius. Et augetur difficultas ex eo, quòd matrimonium ex una parte sit contractus naturalis, ita ut iure naturæ consensus inter personas habiles faciat verum matrimonium; & ex alia, Ecclesia non possit irritare aut variare ea, quæ sunt juris naturæ.

Aaaa

Hæc

50. Hæc difficultas adeo torfit aliquos ex Patri-
bus Tridentinis, ut ante decretum prædictum de
reform. matrim. exilimaverint, Ecclesiam non
posse clandestina matrimonia irritare; & qui-
dam ex Theologis, qui ei interfuerunt, ut Do-
minicus Soro, & Ruardus Taperus quæstio-
nem indecisam reliquerint. Pro resolutione

51. Notandum primò ex D. Thoma in 4. dist. 34.
qu. unic. ar. 1. ad 4. matrimonium hoc habere su-
prà cetera Sacramenta, quod non solum ordi-
natur ad conjugum sanctificationem, sed etiam
est in officium naturæ, & in bonum commune
totius Reipublicæ; atque adeo triplici constat
contractu, naturali, civili, sacramentali.
Inquantum est contractus naturalis, statuitur iure
naturæ; inquantum civilis, lege civili; in-
quantum Sacramentum, statuitur iure divino;
ideoque ex qualibet dictarum legum potest ali-
qua persona fieri inhabilis ad matrimonium; si
enim sit impotens ad copulam carnalem, lege
naturæ ad illud inhabilis est; si consanguineus,
vel affinis, lege positivâ, civili & Ecclesiasticâ;
si non baptizatus, iure divino incapax est Sacra-
menti matrimonij, quamvis ad contractum natu-
ralem vel civilem habilis sit.

52. Notandum secundò, Christum Dominum
non elevasse omnem contractum matrimonia-
lem, etiam signis sensibilibus expressum, in Sa-
cramentum, sed tantum eum, qui esset legiti-
mus, id est legitimus conformis, & inter personas
baptizatas & legitimas, id est impedimentum
dirimens non habentes.

53. Ex his facile haberi potest resolutio difficul-
tatis propositæ, & explicari, qua ratione Eccle-
sia matrimonia clandestina irritare potuerit: id
enim duobus modis præstare potuit, primo in-
directe, & mediante, reddendo personas inhabi-
les ad contrahendum, ut innuit Tridentinum
in decreto supra relato; secundò directe & im-
mediate, cassando & irritando contractus ma-
trimoniales consensu clandestino factos, cum
enim Ecclesia sit Respublica bene ordinata & Chris-
to, debuit in ea esse potestas ad regulandos
contractus suorum subditorum, & adeo potu-
it statuere quasdam condiciones, sine quibus ta-
les contractus sint irriti. In quo non mutavit ma-
teriam, vel formam Sacramenti matrimonij,
formaliter sumptas (nam materia & forma Sa-
cramenti matrimonij, etiam post Tridentini de-
cretum, est contractus legitimus, sicut ante) sed
tantum materialiter, faciendo scilicet quod
contractus clandestinus, qui antea erat legiti-
mus, non sit amplius legitimus, subindeque non
sit amplius elevabilis ad dignitatem Sacramen-
ti, cum Christus, ut supra dicebamus, solum con-
tractum legitimum ad rationem Sacramenti
elevaverit.

54. Potestque id explicari, & illustrari duplici
exemplo aptissimo. Primum est si quis habet
potestatem mutandi aquam in vinum, & iter
mutare materiam Sacramenti baptismi materi-
aliter (hoc est efficiendo quod ea res, quæ erat
vera aqua naturalis, jam non sit amplius aqua
naturalis, nec per consequens materia Sacra-
menti baptismi) sed non formaliter, quia sem-
per verum esset, quod aqua vera & naturalis
esset materia Sacramenti baptismi à Christo in-
stituta. Item si terminus iste corpus, à sua signifi-
catione deponeretur, & ad aliam communi Rei-
publicæ consensu transferretur, & alius, qui vim
idem significandi haberet, loco illius substitue-

retur; forma consecrationis panis incompe-
Christi mutaretur materialiter, sed non forma-
liter, quia semper verum esset, quod voces sig-
ficantes conversionem panis in corpus Christi
essent forma Eucharistie. Idem cum proportio-
ne dicendum est de materia & forma Sacramen-
ti matrimonij; Ecclesia enim prohibendo ma-
trimonia clandestina, non mutavit formaliter,
sed materialiter tantum, materiam & formam
Sacramenti matrimonij, faciendo quod contra-
ctus consensu clandestino factus, non sit ampli-
us legitimus, id est legitimus Ecclesiasticis con-
formis, & reddendo personas sic contractas
inhabiles ad matrimonium. Neque novum est
quod Ecclesia hac potestate usa fuerit, nam o-
lim in Ecclesia matrimonia erant irrita contra-
cta inter consanguineos usque ad septimum
gradum sine dispensatione; postea verò Ecclesia
restrinxit usque ad quartum gradum, unde fecit
ut matrimonium inter consanguineos in quin-
to gradu, quod olim non erat Sacramentum,
modò sit Sacramentum, reddendo personas ha-
biles ad contrahendum. Ex his patet solutio ad
primam difficultatem.

Ad secundam verò respondeo, de iure qui-
dem naturæ esse quod contractus legitimus sit
matrimonium, sed quod contractus legitimus
sit, non solum à iure naturali, sed etiam à iure
positivo, civili & Ecclesiastico dependere; cum
matrimonium, ut supra dicebamus, non solum
sit in officium naturæ, sed etiam in bonum
Reipublicæ Christianæ & secularis, non solum
statuitur iure naturæ, sed etiam legibus Ec-
clesiasticis & Civilibus subditur unde iure Ca-
nonico & Civili aliquæ condiciones statui pos-
sunt, ex quorum defectu contractus matrimo-
nialis fiat irritus, subindeque non sit elevabilis
ad rationem Sacramenti.

§. III.

*Resolvuntur alie difficultates, seu casus controversie
circa matrimonia clandestina, & prædictum
Concilij Tridentini decretum.*

Quæres primò, quid intelligatur nomine Pa-
rochi, vel Ordinarij, cuius præsentia ad va-
lendum matrimonij à Tridentino requiritur?
Respondeo nomine Parochi, vel Ordinarij
non solum intelligi Parochum in tota sua Pa-
rochia, sed etiam Episcopum in tali diocesi, Ar-
chiepiscopum in tota provincia, dum viuit ac-
tu, vel causa ad eum per appellationem devo-
luta est, Summum Pontificem in toto orbe. Le-
gatum Summi Pontificis in tota sua provincia,
Vicarios generales Episcoporum in spirituali-
bus, & capitulum Cathedralis, sede vacante, in
tota diocesi, & denique eos, qui habent iurisdic-
tionem Episcopalem respectu eorum, in quos
eam habent, ut Capitula quædam, & Abbates
exempti.

Quæres secundò, An necessarium sit quod
Parochus matrimonio assistens sit Sacerdos?
Respondeo id non esse necesse, sed sufficere
ut habeat titulum & officium Parochi, sicut ex-
pressè declaravit congregatio Cardinalium
Concilij Tridentini Interpretum anno 1591.
ut refertur in declarationibus capituli primi de-
creti de reform. matrim. Ubi etiam dicitur,
nomine Parochi intelligi eos, qui obtinent
Parochiale beneficium, licet ad Sacerdo-
tium nondum promoti sint, quia nondum expi-
tate

ravit annis illis concessus, ut curent promovendi. Si tamen Parochus alterum velit subdelegare, ut assistat matrimonio, non potest subdelegare eum, qui non est Sacerdos, quia Tridentinum prædicto decreto de reform. matrimonij ait: *Qui aliter quam presente Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, & duobus vel tribus testibus, matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit &c.*

58. Quæres quartò, qualis debeat esse præsentia illa Parochi & testium?

Respondetur non sufficere naturalem, quomodo bestia possunt esse præsentis, sed necessariam esse humanam & moralem, qua scilicet adhiat non tantum corpore, sed etiam scientia, & advertant quid agatur. De testibus constat, non possunt enim alioquin testificari de re gesta. De Parocho autem major adhuc est ratio, quia debet adesse ut repræsentans personam Ecclesiæ ut cognoscentis rem quæ geritur, ut sic dici possit matrimonium contrahi in facie Ecclesiæ. Sed

59. Quæres quartò, quid dicendum, quando Parochus & testes sunt præsentis per violentiam?

Respondeo quoad testes, quantumvis sint ibi per violentiam, validum esse matrimonium, quia ad rationem testis, qui possit testificari, satis est, quod advertat & intelligat. Quantum vero ad Parochum, licet stando præcisè in littera Concilij, videatur requiri quod Parochus sit præsens voluntariè; videtur enim Concilium requirere quod adsit non ut testis, sed ut Parochus, exercens suum officium, atque adeo ut approbans; tamen stando declarationi congregationis Cardinalium, qui habent autoritatem à Summo Pontifice interpretandi Concilium Tridentinum, certum esse debet, quod etiam si Parochus sit ibi per violentiam, erit tamen validum matrimonium; ita enim facta hæc congregatio declaravit expressè loco præcitato, in hæc verba: *Congregatio Concilij censuit, matrimonium coram Parocho & testibus contrahitum, nisi aliud obstat, validum esse, quamvis Parochus invitatus interfuerit, & alia de causa, quam ut matrimonio interesset, à contrahentibus accessit fuerit, cum tamen ad actum matrimoniale verè & formaliter fuerit adhibitus. Alias declarationes, effectus Farinacio Basilii Pontius lib. 5. de matrim. cap. 21. quarum prior affirmat valere matrimonium, dummodo Parochus sit præsens, & intelligat id, quod agitur, licet dissentiat & contradicat: adhibitus verò Parochus intelligitur, etiam si ex alia causa vocatus sit, dummodo sit adhibitus ad illum effectum. Posterior verò est huiusmodi: An verò si invitus & compulsus per vim adsit Parochus, etiam contrahatur matrimonium, & procedente supradicta prohibitione Ordinarii, tale matrimonium subsistat? congregatio respondit, subsistere.*

60. Quæres quintò, an matrimonia celebrata sine proclamationibus, sint clandestina?

Respondeo negativè, dummodo fiant coram Parocho, & duobus vel tribus testibus: illud enim in jure censetur clandestinum, quod fit clam, & non coram Ecclesiâ, cui subinde iudicè consistere non potest. At matrimonium coram Parocho, & testibus celebratum non fit clam, sed coram Ecclesiâ, cui per legitimos testes constare iudicè potest: Ergo non censetur clandestinum, quamvis sine proclamationibus celebretur. Unde omisso proclamationum non reddit matrimonium irritum, etiam post

A decretum Tridentini, ut expressè declaravit congregatio Cardinalium ad cap. 1. decreti de reform. matrim. num. 2. in hæc verba: *Congregatio censuit, matrimonium contrahitum, non præmissis denunciationibus, nisi aliud obstat, irritum non esse.* Ex quo intelliges, antiquum jus in Lateranensi sancitum, quo matrimonium sine prævijs denunciationibus celebratum, subiciebatur poenis matrimonij clandestini, ut constat ex cap. Finali, de clandest. despons. sumpto ex Lateranensi, fuisse per Tridentinum correctum & irritatum; nam hoc ipso quod matrimonio præscripta forma, per quam efficitur Ecclesiâ iudicè notum, nempe quod celebretur coram Parocho & duobus vel tribus testibus, suffulit ab eo sic contracto clandestinitatem, & consequenter poenas matrimonij clandestinis statutas, inter quas præcipua est ejus irritatio & invalidatio.

Peccant tamen graviter, qui sine dispensatione, vel legitima causa excusante, non præmissis proclamationibus, matrimonium contrahunt; quia est res gravis, & Tridentinum prædicto de reform. matrim. decreto cap. 1. strictissimè præcipit, ut tales proclamationes celebrationi matrimonij præmittantur. Verba ejus hæc sunt: *Sacri Lateranensis Concilij sub Innocentio III. celebrati, vestigijs inherendo, præcipit (sancta Synodus) ut in posterum antequam matrimonium contrahatur, quod à proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festis, in Ecclesiâ, inter Missarum solemnias publice denunciatur, inter quos matrimonium sit contrahendum: quibus denunciationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum ad celebrationem matrimonii, in sacre Ecclesiæ celebratur.*

Quæres sextò, an matrimonia filiorum familiaris, sine consensu parentum, præsertim patris, contracta, irrita sint?

Respondeo talia matrimonia esse valida, licet in Gallia edictis Regijs prohibita sint, subindeque illicita.

Prima pars hujus resolutionis constat primò ex Tridentino, decreto de reform. matrim. cap. 1. ubi sic dicitur: *Tametsi dubitandum non est, clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata & vera esse matrimonia, quandoquidem Ecclesiâ ea irrita non fecit, ac proinde jure dammandi sint illi, ut eos sancta Synodus anathemate damnet, qui ea vera & rata esse negant; quique falso affirmant, matrimonia à filijs familias sine consensu parentum contracta, irrita esse, & parentes ea rata & irrita facere posse, &c.* Constat secundo, exemplo Tobie, qui inconsulto patre contraxit matrimonium cum Sara filia Raguelis, quod fuit acceptum & gratum Deo & Angelo Raphaëli; hujus matrimonij paranympho. Similiter Esau Genes. 27. duas uxores duxit sine consensu patris, quod evidens argumentum est, matrimonia filiorum familiaris sine consensu parentum irrita, non esse jure naturæ & irrita. Quod verò jure Canonico non irritentur, constat autoritate Summorum Pontificum, Nicolai I. in responsis ad consulta Bulgarorum cap. 3. & refertur can. sufficit 27. qu. Innocentij III. cap. Cum apud, cap. Tue fraternitati, cap. Tua nos, de sponsal. Alexandri III. cap. Cum locum eodem titulo. Similiter non esse jure Civili irrita, docet antiquissimus jurisconsultus Paulus in lib. sent. dicens, quod non debet contrahi matrimonia sine voluntate patris, sed contracta non solvuntur, quia contemplatio publicæ utilitatis privatorum commodis præfertur.

Unde

Unde non sunt audiendi quidam juris civilis Doctores contrarium sentientes.

63. Ratio etiam suffragatur, ut enim docet S. Thomas 2. 2. quæst. 104. art. 5. incorp. licet pater habeat jus dirigendi per imperium actiones domesticas filij, & filius teneatur ei obedire; tamen non habet in suo dominio naturales filij potencias & facultates, qualis est potentia generativa, unde filius jure naturæ potest sine consensu patris de tali facultate disponere, eamque alteri tradere per contractum matrimoniale. Verba S. Doctoris sunt: *Tenetur homo homini obedire in his, quæ exterius per corpus sunt agenda, in quibus tamen secundum ea, quæ ad naturam corporis pertinent, homo homini obedire non tenetur, sed solum Deo, quia in his omnes homines naturæ sunt patres, putà in his, quæ pertinent ad corporis sustentationem, & proles generationem. Unde non tenentur nec servi dominis, nec filij parentibus obedire de matrimonio contrahendo, vel virginitate servanda, aut aliquo alio hujusmodi. Sed in his quæ pertinent ad dispositionem actuum & rerum humanarum, tenetur subditus suo superiori obedire secundum rationem superioritatis, sicut miles duci exercitibus in his, quæ pertinent ad bellum; servus domino in his, quæ pertinent ad servilia opera exequenda; filius patri in his, quæ pertinent ad disciplinam, & curam domesticam.*

64. Secunda verò pars nostræ resolutionis, quæ asserit matrimonia filiorum familias sine consensu patris in Gallia editis Regijs esse prohibita, constat, nam Henricus II. Galliarum Rex Christianissimus, anno 1556. ea strictissime prohibuit, & contra filios sine consensu patris matrimonium contrahentes has penas statuit: Primo, ut jure exheredes fieri possent. Secundo, ut liceat parentibus jam factas donationes revocare. Tercio, ut ob id exheredati liberi, omnia lucra amittant, quæ suis vi consuetudinis, aut pacti matrimonialis deferebantur. Demum statuit, quod intervinientes huic matrimonio penam arbitriam plestantur, & Notarius, ac testes penam capitis puniantur.

65. Quæres septimo, An ita verum sit, matrimonia clandestina, post decretum Tridentini, esse irrita, ut in nullo prorsus casu valida sint?

Respondeo multos recenseri casus, in quibus talia matrimonia censentur valida, non obstant Tridentini decreto; sed ex illis duos tantum vel tres prorsus probabiles. Primus est, si fideles contrahant in facie Ecclesiæ, sed invalide, propter occultum impedimentum; postea cognitò impedimento possunt occultè contrahere, vel renovando consensum, vel si vir maritali affectu uxorem cognoscat; & in tali casu matrimonium illud, licet clandestinum, validum est, ut à Pio V. declaratum fuisse testatur Navarrus cap. 22. Manualis num. 70. & Petrus Ledesina qu. 45. art. 5. affirmat Cardinales Congregationis ita declarasse, seque illam declarationem vidisse. Contrarium tamen sentiunt non pauci cum Pontio lib. 5. cap. 6. propter declarationem Clementis VIII. art. præcedenti, §. 2. in fine adductam, quæ asserit, cum matrimonium ab initio fuit invalidum, ut revalideretur, necessarium esse consensum utriusque conjugis coram Parocho & testibus. Sed Clementem cum Pio conciliare conatur Amicus hic disp. 7. sect. 13. num. 131. dicens, utramque sententiam esse in praxi tutam ac securam, istam esse tutiorem, & alteram probabiliorē, subindeque potuisse ex diverso fundamento utramque sententiam ubi u-

A troque Pontifice in praxi servandam præstare, primam ut probabiliorem, secundam ut tutiorem.

Secundus casus, qui ab aliquibus probabiliter reputatur, est, quando quis per totam vitam habitavit cum concubina, quæ reputatur eius uxor, ex qua etiam plures liberos suscepit; postea verò dum ægrotaret, publice decessit non fuisse veram ejus uxorem, atque adeo filios esse illegitimos; unde ipse morti propinquantem vocat Parochum, qui vel abest, vel non potest inveniri; si tunc coram quinque, vel septem testibus contrahat, ut filij fiant legitimi, probabile reputant aliqui, validum esse matrimonium.

B licet alij oppositum probabiliter existiment. Tercio, Matrimonia clandestina valida sunt, si contrahantur in ijs locis, in quibus Tridentini constitutio non est recepta, licet contrahentes peregrini sint, & in eorum patriæ talis constitutio sit recepta, imò licet de industria eo se contulerint, ut valide contraherent, sicut ait Pontius lib. 5. cap. 9. post Sanchez, & alios. Item si duo contrahentes clandestini, sint diversarum parochiarum, in quarum una publicatum fuerit decretum Tridentini, non verò in altera, valet matrimonium, si fuit celebratum in ea parochia, in qua decretum non fuit receptum, ut declarat congregatio Cardinalium in caput 1. Decreti de reformatione matrimonij, & in responsione data Episcopo Anthepiensi, quæ refert Sylvius hic ad quæst. 45. art. 5.

Demum quando Parochus simpliciter haberi non potest, vel non potest haberi sine maximo vel ipsius Parochi, vel contrahentium periculo, validum est matrimonium in absentia Parochi contractum, ut constat ex decisione eisdem congregationis Cardinalium, quæ constituta ab Episcopo Tricarienti circa formam matrimoniorum, quæ in partibus Hollandiæ, Zelandiæ, & Frisiæ contrahuntur, examinatis ac penitus rationibus sibi ab Episcopo propolis.

D postquam declaravit irrita esse matrimonia hæreticorum celebrata coram ministro hæretico, vel magistratu in loco, ubi Tridentinum est publicatum, subiungit: Si verò parochia, in qua aliquando observatum decretum propter parochi defectum, & cathedrales iidem Episcopo & Capitulo, habentibus à Concilio facultatem aliam sacerdotem ad id delegant, nulli, quæ alius iussit, qui iussit Parochi, aut Episcopo suppleat, matrimonium valet absque presentia Parochi, servat tamen in ea quæ per ipsam formam Concilij, nempe adhibitu saltem duorum testium. Si verò extant quidem Parochus & Episcopus, sed nullo constituto Vicario, uterque metu hæreticorum latent, ita ut verè ignoretur, ubi sit, vel eodem metu à Diocesi absit, nec ad alterutrum sit tutus accessus, validum est matrimonium contractum absque Parocho, adhibitis tamen duobus testibus.

ARTICULUS IV.

An, & quo jure matrimonium factum est in gravi, seu in virum constantem cadente, irritum sit?

§. II.

Quibusdam præmissis utraque difficultas resolvitur.

Suppono primò, meritum sic defini ab Ulpiano de eo quod metus causa, & obligatio per vim.

periculi, vel futuri mali, mentis trepidatio, quæ definitio omni metui convenit. Omnis autem variis metus divisionibus, quæ ad nostrum institutum non pertinent, communis divisione metus dividitur in levem & gravem, qui etiam cadens in virum constantem appellatur, cap. *Veniens* 2. & cap. *Consultationis*, de sponsalibus. & est ille qui versatur circa malum grave, cuiusmodi est mors, mutilatio, perpetuum exilium, diuturnus carcer, defectio à proprio statu, amissio omnium aut notabilis partis bonorum, idque non tantum respectu propriae personæ, sed etiam conjunctorum consanguinitate, affinitate, vel arcu amicitia, ut notat S. Thomas in 4. dist. 29. quæst. 4. art. 2. ad 2. Nec satis est ut versetur circa malum grave ex falsa imaginatione apprehensum, sed debet re ipsa esse tale, ut definitur l. *Nec timorem* 7. ff. *De eo quod metus causa*, ubi sic dicitur: *Si quis metusculis rem illam frustra timuerit, per hoc edictum non restituitur, quoniam neque rei, neque metus causa factum est.* Docet etiam D. Thomas hic quæst. 47. art. 2. ad metum gravem & in virum constantem cadentem, non sufficere quod versetur circa malum grave, quod re ipsa sit tale, & non ex falsa imaginatione, sed insuper requiri quod illud malum sit gravius eo quod eligitur ad illud evitandum; Quia (inquit) *constans sequitur rationem rectam, per quam scit quid pro quo dimitendum sit vel faciendum: semper autem minus malum, vel majus bonum eligendum est, & ideo constans ad minus malum sustinendum cogitur metu majoris mali; non autem cogitur ad majus malum, ut vitet minus malum.* Ex qua doctrina sequitur primò, nullius mali temporalis metum, ad quodcumque peccatū committendum incussum, esse gravem, & cadentem in constantem virum; cum quodcumque malum temporale, cum quovis peccato etiam veniali comparatum, sit longe minus. Unde Daniel 13. Susanna ab impudicis senibus sollicitata, maluit mortem eligere, quam eorum delictum consentire. Invenit Susanna (inquit sacer textus) & ait: *Angustia sunt mihi undique, si enim hoc egero, mors mihi est; si autem non egero, non effugiam manus vestras. Sed melius est absque opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini.* Sequitur secundo, quod si alicui intenteretur amissio notabilis partis bonorum, nisi consueverit in matrimonium, ex quo longe pejora mala obventura timet, talis metus gravis non est, nec cadens in virum constantem, cum constantis viri sit ex duobus malis minus eligere.

70. Suppono secundo, metum gravem, sive in virum constantem cadentem, posse inferri à duplici causa, videlicet à causa naturali, ut à naufragio, à peste, à gravi infirmitate; vel à causa libera & extrinseca, ut ab alio homine. Rursus metum illum gravem, qui inferitur à causa libera extrinseca, posse inferri dupliciter, justè nimirum, vel injustè. Justè, si Judex v.g. comminetur mortem homicidæ, nisi ut satisfaciat parti; ducat in uxorem filiam & consanguineam occisi. Injustè vero, si persona privata metum illum incutiat. Item metum illum posse inferri, vel ad extorquendum consensum in matrimonium; & tunc per se ordinatur ad matrimonium; vel non ad extorquendum consensum in matrimonium, sed in aliquid aliud, & tunc non nisi per accedens ad matrimonium ordinatur; v.g. si quis ex metu latronis, accipiat in uxorem filiam viri fortissimi, qui illum à latronibus defendat. His positis, pro resolutione difficultatis propositæ,

Tomus F.

Dico primò, nullus metus quantumvis gravis, si à causa naturali proveniat, irritat matrimonium. Patet conclusio in eo qui metu mortis naturalis imminetis, vel ex metu inferni, ducit in uxorem eam quam habuit concubinam; certum est enim, tale matrimonium esse validum, sicut & vota quæ ex metu naufragij, vel imminente alio gravi periculo fiunt, omnium consensu valida sunt; quia nimirum in his casibus nulla est coactio, cum nulla vis inferatur; nec ulla tunc fiat injuria voventi, vel matrimonium contrahenti.

Dico secundo, non irritari matrimonium à gravi metu, justè à causa libera incusso. Patet etiam, tum quia nulla tunc fit injuria contrahentis, tum etiam, quia ita sæpe fit in Republica Christiana; Ecclesia enim per excommunicationem cogit volentes adimplere sponsalia, & Judex adolescenti de stupro virginis convicto, comminatur mortem, nisi eam in uxorem ducat.

Dico tertio, non irritari matrimonium gravi metu injustè incusso à causa libera, si talis metus non sit concussus ad extorquendum consensum in matrimonium, sed ob alium finem, seu ad aliam rem injustè extorquendam. Hæc etiam conclusio est manifesta, valet enim votum factum Deo ad vitandam mortem intentatam à latrone, non in finem extorquendæ tale votum, sed pecunias: Ergo similiter valebit matrimonium, si latro metum incutiat viatori ad pecuniam extorquendam, & viator ut præsentem redimat vexationem, spondeat ipsius filiam se in uxorem ducturum. Item si Judex contra allegatam & probatam ad mortem damnet reum, qui ut ab injusta morte se liberet, Judicis filiam ducit, validum est matrimonium. Similiter si maritus adultero in delicto deprehenso, propria auctoritate mortem minatur, ad cuius iram placandam, adulter in uxorem ducit minantis filiam, valet matrimonium. Denique quando aliquis injustè detentus in carcere, alià de causa, & ob alium finem, ducit in uxorem filiam ejus à quo detinetur, ipe libertatis obtinendæ, aut quando Princeps bello licet injusto à altero vexatus, petit ipsius filiam, & in uxorem ducit, propter bonum pacis, Matrimonium, omnium consensu, validum est.

Dico quarto, omnis metus gravis, ad extorquendum consensum injustè incussus, irritat matrimonium. Ita communiter Theologi, Canonistæ, & Jurisperiti, & constat ex cap. *Cum locum*, 14. & cap. *Veniens*, 15. de sponsalibus, & cap. 2. de eo qui duxit, &c. Idque verum est in utroque foro, quia hæc jura absolute dicunt, eum qui ita contraxit, valde cum secunda contrahere, licetque cum ea permanere, quod falsum esset, si primum Matrimonium absolute in utroque foro esset irritum.

Nec valet si dicas, jura id dicere, quia præsumunt metum coactum non consensisse, sed finxisse. Nam contra est primò, quod oppositum patet ex cap. *Significavit*, ibi enim Pontifex discrete significat eum, qui consensit in unam sed per vim & non sponte, validum cum altera Matrimonium contraxisse. Secundo, ut arguit D. Thomas hic quæst. 47. art. 7. in corp. Ecclesia nunquam præsumit peccatum de aliquo, nisi probetur: Præsumeret autem peccatum mendacij, si existimaret eum qui coactus est non consensisse, quando dixit se consentire. Tertio, Ecclesia præsumit suscipientem aliquod aliud Sacramentum ex metu gravi, verè consensisse, nisi certò

Bbb

con-

constet de opposito, ut patet ex cap. *Maiores*, de A
Baptismo, paragrapho *Item quartur*: Ergo idem
est dicendum à fortiori de Matrimonio.

Ratio autem ob quam Ecclesia matrimonia
ex gravi metu contracta statuit esse nulla, fuit,
quia cum vinculum matrimonij sit perpetuum
& indissolubile, Ecclesia voluit quòd ejus cele-
bratio esset libera & spontanea, ut ad eam
alienà vi & injurià nemo cogatur. Qua etiam
de causa irritat vota solemnia Religionis, facta
ex metu cadente in virum constantem. Non ir-
ritat autem Baptismus ex eodem metu susce-
ptum, tum quia, cum sit Sacramentum, non sub-
jacet dispositioni juris Ecclesiastici, sicut Ma-
trimonium, quod non solum habet rationem Sa-
cramenti, sed etiam contractus naturalis & civilis:
Tum etiam, quia cum baptizatus ad illum
merè passivè se habeat, non requiritur ex parte
illius ita perfectum & exactum voluntarium,
sicut in contrahente matrimonio, aut emittente
vota solemnia Religionis, ut rectè obser-
vavit sanctus Doctor hic quæstione 47. art. 3.
ad 1.

Dico ultimò, Matrimonium gravi metu in-
justo contractum, non esse irritum jure naturali,
sed tantum Ecclesiastico. Est contra Pontium
lib. 4. cap. 14. *Meratium* disp. 7. sect. 8. & alios,
existimantes, talia matrimonia jure naturæ irri-
ta esse.

Probatur conclusio ratione fundamentali:
Metus gravis, injustus, neque defectu plenæ li-
bertatis, neque ratione injuriæ quam infert, tol-
lit naturam consensûs ad matrimonium essen-
tialiter requisiti: Ergo illum non irritat jure
naturæ. Consequentia patet, si enim illum jure
naturali irritaret, altero ex his capitibus id præ-
staret. Antecedens verò quoad utramque par-
tem suadetur. In primis enim quòd ipsum non
irritet ex defectu libertatis, patet ex eo quòd
idem libertatis defectus reperitur in metu gra-
vi, ex causa naturali vel libera proveniente,
& in metu gravi injusto, ad alium finem, quam
ad extorquendum consensum incusso; & ta-
men triplex ille metus non irritat matrimoni-
um, ut tribus primis conclusionibus ostensum
est: Ergo metus gravis, ad extorquendum
consensum injustè incussus, jure naturæ non
irritat matrimonium, ex defectu plenæ libera-
tis.

Quòd verò ipsum jure naturæ non irritet, ra-
tione injuriæ quam infert, probatur; tum quia
tanta injuria infertur meticuloso per metum
levem, quanta homini fortè per metum gravem;
& tamen metus levis etiam cadens in virum
meticulosum, non irritat jure naturæ matrimo-
nium. Tum etiam, quia saltè in matrimonio
gravi metu injusto ad alium finem incusso, re-
peritur injuria gravis, quæ tamen matrimo-
nium non irritat, & dominij proprii corporis
translationem non impedit, ut conclusione ter-
tiâ variis exemplis declaravimus. Addo quòd,
in aliis contractibus gravi metu injusto cele-
bratis, gravis infertur injuria, quæ non obstante
sunt validi, & efficaces ad dominium transfe-
rendum: Ergo metus gravis injustus non irri-
tat jure naturæ matrimonium, ratione injuriæ
quam infert.

Contra tres primas conclusiones nullum
conducit argumentum alicujus momenti,
sed contra quartam obijciunt primo: Si enim
metus gravis, ad extorquendum consensum in-
justè incussus, irritaret matrimonium, sequitur
injustè oppressum peccare mortaliter peccato
mendacii & sacrilegii, proferendo verba illa
Ego te accipio in meam: Sed hoc videtur abso-
lutè manifestum: Ergo & illud. Sequela Majoris vide-
tur manifesta, in ipsè enim oppressus, proferendo
illa verba, loquitur contra mentem, subin-
deque mentitur in materia gravi. Item potest
formari sacramentale Sacramentum matrimo-
nii supra materiam indebitam, subindeque illud
dicit Sacramento, & sacrilegium committit, si-
cut ille qui metu mortis aliquem indispotum ad
solvit.

Respondeo negando sequelam Majoris,
quoad utramque partem: In primis enim,
quoad peccatum mendacii, contrahens qui illa
verba, *Accipio te in meam*, proferit ex metu gra-
vi, injustè illato à causa libera, tripliciter se ha-
bere potest in eorum prolatione: Primo ita ut
non consentiat in matrimonium, & tamen in-
tendat ea proferre in sensu formali; & tunc
sine dubio peccat, peccato mendacii, quia lo-
quitur contra mentem, quamvis fortè illud
peccatum non sit mortale, ob metum gravem
injustè illatum; sicut quando Judex injustè
procedit, mentiri in judicio, non est mortale.
Secundò potest contrahens ita proferre verba
illa, ut non intendat ea dicere in sensu formali,
sed tantum materiali; & tunc non mentitur,
quia nihil dicit contra mentem, nec tenetur lo-
qui juxta intentionem cogentis, quandoque-
dem supponimus quòd injustè cogitur, & non
obligatur aliunde erga feminam, ad eam du-
cendum in uxorem. Tertio potest contrahens
proferre verba illa cum intentione sensus for-
malis significationis eorum, & consensum in ma-
trimonium, quantum fieri potest ex parte sua
proferre, & tunc etiam non peccat peccato men-
dacii, quia nihil dicit contra suam mentem;
illa enim verba faciunt tunc hunc sensum, con-
traho tecum, quantum est ex me, sive pono
quidquid requiritur ex parte mea, ad contra-
hendum tecum.

Similiter contrahens matrimonium ex gravi
metu, non peccat peccato sacrilegii; nam vel
bonâ fide existimat se valide contrahere, &
perficere matrimonii sacramentum, licet metu
coactus, & tunc bona fides, seu ignorantia in-
vincibilis ipsum excusat à peccato; vel contra-
novit contractum esse invalidum, subindeque
non perficit Matrimonii sacramentum, & sic
non peccat etiam, nec facit contra reverentiam
hujus Sacramenti, qui gravi metu adactus pro-
fert verba consensum significantia simulando se
consentire quantum potest; quandoque enim
tunc non intendit facere sacramentum, nec pro-
fert illa verba ut formam Sacramenti, neque
ponit illius materiam, sed se habet ad militan-
dum qui representandi causâ abluet, & pro-
ferret in theatro verba Baptismi; vel qui di-
scendi causâ, seque exercendè in modo cele-
brandi.

brandi Missam, proferet verba consecrationis super Hostiam chartaceam, sine intentione consecrandi.

82. Addunt aliqui, quod licet graviter peccet Sacerdos, qui metu mortis aliquem indispotum absolvit, non tamen qui metu gravi coactus, matrimonium contrahit; quia ille consentit ei qui directe aliquid impium & sacrilegum petit, subindeque externum sacrilegium committit; secus vero ille, quia ab incuriente metu, Matrimonium directe tantum petitur, quatenus est contractus, non autem quatenus Sacramentum: intendere vero facere contractum matrimonii, qui nullus est iure Ecclesiastico, non est peccatum sacrilegij, cum talis contractus non sit Sacramentum, eo quod Christus validum duntaxat matrimonij contractum, ad dignitatem Sacramenti elevarit.

83. Obijcies secundo contra secundam conclusionem: Illud irritat matrimonium iure naturali, quod reddit ipsum involuntarium, seu voluntati repugnans, cum sit de ratione & natura contractus matrimonialis, quod sit liber & voluntarius: Sed coactio ex gravi metu injuste incusso proveniens, facit quod matrimonium sit involuntarium, seu voluntati repugnans: Ergo reddit ipsum irritum iure natura.

84. Respondeo primo, retorquendo argumentum in Adversarios, non minus enim est coactum & repugnans voluntati matrimonium irritum ex metu mortis iuste incusso, quando scilicet Judex metu suspendij corruptorem virginis cogit, ut eam ducat, quam metus injuste incussus ejusdem aut minoris mali. Et tamen prima illa coactio non irritat matrimonium iure naturali, ut fatentur Adversarii: Ergo non est sufficiens fundamentum in secunda coactione, ut matrimonium dicatur esse nullum iure natura. Quod enim iuste vel injuste incutitur, non facit ut minus repugnet voluntati, & plena libertati, ut minus perterrefaciat virum constantem.

85. Respondeo secundo, distinguendo Majorem: Illud irritat matrimonium iure naturali, quod reddit ipsum involuntarium simpliciter, concedo Majorem. Quod reddit ipsum involuntarium tantum secundum quid, nego. Similiter distinguo Minorem: Coactio ex gravi metu iuste incusso facit matrimonium involuntarium, secundum quid, concedo: simpliciter, nego; ut enim cum Aristotele 3. Ethic. cap. 1. S. Thomas 1. 2. quæst. 6. art. 6. actiones quæ ex metu fiunt, et si ex voluntario & involuntario mixtæ sint, simpliciter tamen dicendæ sunt voluntariæ, quia hic & nunc eas liberè volumus, eligentes illas ut minus malum, ad vitandum majus; fiuntque à principio intrinseco cognoscente singula in quibus est actio; unde non competit illis ratio violenti, quod est à principio extrinseco, nullam vim conferente passo. Cum ergo voluntarium mixtum sufficiat ad actum humanum, sufficit etiam ad matrimonium, spectato iure natura, & essentia matrimonij, ut constat ex reliquis contractibus metu celebratis, licet iure positivo debeant in irritum revocari, ut habetur cap. Abbas, de iis qui vi metusve causâ.

86. Dices, Matrimonium, cum sit vinculum quoddam mutui atque perpetui amoris, & animorum corporumque conjunctio, debet esse plenè voluntarium & liberum: Ergo ad illud non sufficit voluntarium mixtum.

Tomus V.

A Respondeo, distinguendo Antecedens: Debet esse plenè voluntarium & liberum, connaturaliter, concedo, essentialiter, nego: nam voluntarium mixtum sufficiens est ad transferendum dominium corporis unius conjugis in alium. Addo, consensum metu extortum esse plenè voluntarium ex parte sui, id est cum plena & perfecta deliberatione elicatum, & esse diminutum solum ex parte objecti, quatenus scilicet illud tantum vult secundum aliquam considerationem, nempe prout valet ad vitandum cruciatum, aut aliud grave malum; hunc verò consensum ex parte objecti diminutum, non repugnare essentia matrimonij, constat ex eo quod non minus diminutè ex parte objecti consentit, qui consentit in aliquam, quia dives est, licet sit deformis, vetula, querula, alisque vitiiis & defectibus obnoxia; & tamen, omnium consensu, tale matrimonium validum est.

B Obijcies tertio: Coactio repugnat naturæ illius contractus, qui ex se perpetuam & indissolubilem obligationem inducit, cum nihil coactum & violentum sit perpetuo durabile: Sed matrimonium est contractus perpetuum & indissolubilem obligationem inducens: Ergo coactio ex gravi metu injuste incusso proveniens, repugnat naturæ matrimonij, subindeque illud iure naturali dissolvit. Unde D. Thomas hic quæst. 47. art. 3. ad 2. sic ait: *Ad matrimonium non sufficit quodcumque voluntarium, sed voluntarium completè, quia debet esse perpetuum, & ideo per violentum mixtum impeditur.* Et in 4. dist. 29. quæst. 1. art. 3. quæstiunc. 1. in corp. Dicendum (inquit) quod vinculum matrimonij perpetuum est, unde illud quod perpetui repugnat, tollit matrimonium. Metus autem qui cadit in constantem virum, perpetuitatem contractus tollit, quia potest peti restitutio in integrum; & ideo hæc coactio tollit matrimonium, & non alia.

C Respondeo primo, idem argumentum fieri posse de matrimonio inito ex metu mortis iuste incusso, cum illud non minus sit perpetuum, nec minus indissolubilem obligationem inducat, quam illud quod ex metu mortis injuste incusso contractum est.

D Respondeo secundo, ex eo quod matrimonium sit vinculum perpetuum, & indissolubilem obligationem inducat, solum colligi, coactionem ex metu gravi injuste incusso provenientem, repugnare illi connaturaliter, non tamen essentialiter; perpetuum enim esse potest, id est ad vitam, quod coactum est, & contra voluntatem; ut patet in carcere perpetuo, aut servitute. Unde D. Thomas locis citatis non dicit coactionem suam naturam irritare matrimonium, sed affectum solum causam seu rationem quæ movet Ecclesiam, ad illud irritandum, quia scilicet convenit naturæ illius contractus fieri sine violentia & coactione, gravesque solent exitus oriri ex matrimoniis cogente gravi metu contractis.

E Obijcies quarto: Jus natura dicitur, ut omnis injuria resarciatur eodem modo, seu in eodem genere bonorum, quo illata est: Ergo cum injuria injusto metu matrimonio illata, non possit aliter reparari, quam pes ejus dissolutionem, jus natura dicitur, dissolvendum esse matrimonium, metu injusto contractum.

9a. Respondeo negando Antecedens, universaliter sumptum; sunt enim multe injuriæ quæ non

Bbbb 2

non

non possunt, atque adeo non debent refarciri in eodem bonorum genere in quo facta sunt: si quis enim fide datâ de matrimonio, corrumpat virginem, & mox aliam ducat in uxorem, iniuria gravissima priori illata, non refarcitur irrito posteriori matrimonio, utpote quod eo non obstante est validum, & consequenter perpetuum. Item jus naturæ dicitur refarciendam esse injuriam ab homine qui alium mutilavit, sed non per restitutionem membri quod semel abscissum reparari non potest, sed aliis viis ac modis. Idem dicendum in proposito, jus enim naturæ dicitur quidem reparandam esse injuriam, injusto metu matrimonio illatam, sed non per ejus dissolutionem, cum illud semel valide contractum dirimi non possit, sed aliis modis quo talis injuria reparari potest, puta celebrando de facto matrimonium, illudque revalidando, si pars altera violentiam passa, velit postea libere consentire.

91. Objicies quincō: Donatio quæ fit latroni per metum cadentem in virum constantem, nulla est, etiam stando in jure naturæ; & votum simplex vel solemne, per metum in virum constantem cadentem emillum, est invalidum, etiam jure naturæ; cum Ecclesia non habeat potestatem ea quæ sunt de jure naturæ irritandi, & tamen irritet omnia ejusmodi vota: Ergo etiam matrimonium ex eodem metu contractum, jure naturæ invalidum erit.

92. Respondeo negando Antecedens, quoad utramque partem; donatio enim quæ fit latroni propter metum gravem, non est etiam ipso jure humano irrita & nulla, sed venit rescindenda per iudicem, in quo differt à matrimonio, quod ipso jure humano est nullum, si ex illo metu contrahatur, quia cum inducat vinculum per se iustum, si quando ex gravi metu contrahitur, semel esset validum, non posset rescindi per aliquam potestatem humanam, sicut rescinduntur alii contractus, qui ex sua natura non sunt insolubiles. Similiter votum simplex vel solemne, per metum in virum constantem emillum, non est jure naturali, sed Ecclesiastico tantum, invalidum. Ad probationem verò in contrarium dico, quod licet Ecclesia non habeat potestatem irritandi ea quæ sunt semel valida jure naturæ, bene tamen apponendi aliquas circumstantias, sine quibus sunt invalida, siue sine quibus jus naturæ non tribuit eis valorem, ex quibus una est, quod vota illa non sint per metum gravem extorta.

93. Objicies sextō: Nullum extat peculiare decretum, quo Ecclesia matrimonia gravi metu injusto contracta irritet, uti fecit cum matrimoniis clandestina antea valida irritavit: Ergo licet ista sint jure tantum positivo irrita, illa tamen jure naturæ invalida erunt.

Sed nego Consequentiam, sicut licet Ecclesiæ decretum proferri possit, quo matrimonium fidelis cum infideli, id est baptizati cum non baptizata, aut vice versâ, declaretur invalidum, tamen certum est, & fatetur Adversarij, jure solum positivo irritum esse; quia nimirum, licet id non habeatur ex peculiari Ecclesiæ decreto, habetur tamen ex traditione Doctorum & Pontificum: ita ob eandem rationem, matrimonia gravi metu injusto contracta, jure positivo irrita sunt, quamvis nullum extet peculiare decretum Ecclesiæ quo irritentur.

94. Objicies ultimō: Si matrimonia gravi metu injusto contracta, jure tantum Ecclesiastico irrita sint, erunt valida inter infideles, cum ipsi le-

A gibus Ecclesiæ non subint: Sed hoc dicimus: Ergo nec illud.

Respondent Sotus, Henriquez, & alij, negando sequelam; quia (inquunt) licet talia matrimonia non sint irrita jure naturæ, sunt tamen invalida jure gentium, quod habet vim apud infideles.

Sed hanc responsionem & doctrinam multo improbant, ex eo quod cum jus gentium dicatur illud quod ex principiis naturæ, etiam rei, per necessariam & evidentem deductionem morali, consequentiam deducitur, quodque proinde sola recta ratio dicitur, si matrimonia coacta essent tali jure irrita, sequeretur eorum nullitatem deduci tanquam conclusionem immediate ex principiis naturæ, & consequenter ex se, siue ex jure naturæ, esse irrita. Unde.

B Alii respondent negando Minorem, existimant enim, matrimonia ex gravi metu contracta inter infideles esse valida, sicut matrimonia clandestina apud illos valida sunt, cum ipsi legibus Ecclesiæ talia matrimonia irritantibus non subdantur.

Verum melius respondetur cum distinctione, dicendo nempe ea esse quidem valida apud infideles, si nullum jus civile ea apud ipsos irritet; invalida verò, si apud illos sit, ut esse potest, lex aliqua civilis ea irritans.

§. III

Corollaria precedentis doctrinæ.

C EX dictis inferes primō, metum levem in iustum incussum non irritare matrimonium: Ecclesia enim non irritat nisi matrimonia gravi metu injuste incussum irrita, alias omnia in matrimoniis contractibus essent incerta, plenaeque controversiæ & litibus; quia metus levis facile intervenit, aut etiam fingi ac probari potest. Adde quod, qui levi metu movetur ad contrahendum matrimonium, non est dignus, ut sibi per Ecclesiam subveniatur, cum facile potuerit talem metum à se repellere.

D Inferes secundō, Matrimonium ex metu gravi contractum, quantumvis juramento per vim extorto confirmetur, non esse validum; quia juramentum non confirmat actum, jure Ecclesiastico nullum: Sed matrimonium gravi metu injuste incussum contractum, jure Ecclesiastico irritum est, ut supra ostendimus: Ergo per juramentum vi extortum firmari nequit. Adde quod, si matrimonium metu gravi injuste illato contractum, juramento vi extorto firmaretur, Ecclesia non sufficienter providisset incommodis, quæ ex matrimoniis coactis solent sequi; si quidem facillimum esset cogentibus, non solum cogere ad matrimonium, sed etiam ad ipsum juramento confirmandum.

Dixi, quantumvis juramento per vim extorto confirmetur, si enim ille qui metu gravi ad contrahendum matrimonium adactus est, postea sponte juret, se confirmatum tale matrimonium, titulo religionis tenetur ad valide contrahendum, quia cum tale juramentum sit sponte præstitum, jurantem constringit ad illud servandum, cum absque salutis dispendio, & præjudicio tertij, ut supponimus, servari possit. Sicut qui sponte jurat se confirmatum votum, ab ipsa plena libertate emillum, tenetur virtute religio-

gionis illud implere. Poterit tamen sponte jurans se confirmaturum matrimonium metu gravi contractum, iuramenti relaxationem petere; quia cum nullum jus ex tali matrimonio sit alteri contrahenti acquisitum, nulla illi sit injuria, si à præstito iuramento resiliatur.

98. Inferes tertio, matrimonium gravi metu injuste illato contractum, non reddi validum, per ejus consummationem, etiam affectu maritali ab eo qui cogitur factam; Ecclesia enim sine ulla exceptione irritat omnia matrimonia facta ex gravi metu à causa libera injuste illato: Unde licet coactus postea velit matrimonium subsistere, & consentiat in copulam affectu maritali, per hoc tamen matrimonium coactum non fit validum, sed peccat mortaliter, tale matrimonium consummando.

99. Dices: Ecclesia irritat matrimonium coactum, in favorem illius qui cogitur: Ergo si ille velit contrahere, & affectu maritali consentiat in copulam, tale matrimonium, per ejus consummationem, reddetur validum.

Respondeo Ecclesiam irritare ejusmodi matrimonium secundario tantum in bonum sive favorem ejus qui cogitur; per se verò & primario, in favorem boni communis, ad quod ordinatur matrimonium, ut scilicet conjuges commodè possint cohabitare, & prolem educare, quam commoditatem per se loquendo destruit coactus quæ in matrimonii contractione intervenit.

100. Inferes quarto, quòd licet matrimonium metu gravi injuste extortum, invalidum sit, manet tamen qui vim intulit obligatus ad contrahendum, si pars altera violentiam passa, velit postea liberè consentire: Tum quia Ecclesia irritans tale matrimonium, non intendit favere reo injuste cogenti, sed innocentis tantum libertati prospicere: Tum etiam, quia qui alium injuste metu compellit ad secum contrahendum, gravem illi injuriam infert, injuste consensum extorquendo in re maximi momenti: Ergo tenetur eam refarcire in eodem genere, si potest; subindeque stare contractui, si alter velit. Unde graviter peccat, qui consensum ab una extorsit, cum altera contrahendo, quia cum prius fuerit irritum, posterioris validitatem non impedit.

ARTICULUS V.

Utrum per consensum conditionatum fiat matrimonium?

101. Notandum primò, conditionem in eo differre à demonstratione, causa, & modo, quòd demonstratio in jure exprimitur per ostensionem qualitatibus personæ, ut duco Mariam, quæ nobilis & dives est; causa exprimitur per illud quod operantem impellit ad contrahendum, ut duco Mariam, quia nobilis & dives est. Modus verò exprimitur per aliquid quod se habet ut finis contrahentis, ut si dicatur, duco Mariam, ut dives efficiar, vel ut dignitatem præsidis obtineam; conditio autem exprimitur per particulam si, vel dummodo, ut do tibi centum, si naves ex India venerint. Duco Mariam, dummodo parentes consentiant. Unde conditio suspendit dispositionem, ita ut vim non habeat nisi ex futuro eventu: quare definitur à Sylvestro, verbo conditio: *Oratio quæ id omne quod agitur in futurum eventum suspenditur.*

Tomus V.

A Notandum secundò, conditionem appositam matrimonio, æquè ac aliis contractibus posse esse multiplicem: unam de præfenti, aut de præterito; aliam de futuro, contingenti, vel necessario. Item conditio potest esse de aliquo possibili, vel impossibili, turpi, vel honesto, aut indifferente, repugnante matrimonio, vel non repugnante. His præmissis, pro resolutione difficultatis proponitur.

Dico primò: Si quis consentiat in matrimonium sub conditione de præfenti, quæ non contrarietur matrimonio, ut si quis dicat, ego contraham tecum si dives es, stante tali conditione, verum efficitur matrimonium. Si verò apponatur conditio quæ adversetur substantiæ matrimonii, ut si quis dicat, Accipio te in uxorem, si nolis te obligare ad conjugale debitum, non fit matrimonium. Ita D. Thomas hic quæst. 47. art. 5. ubi primam hujus conclusionis partem sic probat in argumento *sed contra*: In aliis contractibus fit obligatio sub conditione, & stante conditione (dummodo illa non sit contraria substantiæ aut fini illius.) Ergo cum matrimonium sit contractus naturalis & civilis, fieri potest sub conditione aliqua de præfenti, dummodo illa substantiæ aut fini matrimonii non adversetur.

Ex quo probatur etiam secunda pars: Omnes enim alii contractus in quibus ponitur aliqua conditio contraria substantiæ vel fini contractus, invalidi sunt jure naturæ: v.g. si quis vendat hæc lege & conditione, quòd non transferatur dominium rei venditæ, nulla est venditio: item si quis in contractu societatis contrahat hæc conditione quòd socius sit particeps damni, sed non lucri, talis contractus nullus est: Ergo similiter si quis dicat, Accipio te in uxorem, si nolis te obligare ad conjugale debitum, vel si impedias prolem, generationem aut educationem, matrimonium irritum est, quia pariter illæ conditiones substantiæ vel fini matrimonii adversantur. Unde Gregorius IX. cap. fin. de condit. appof. licet ait: *Si conditiones contra substantiam conjugii inferantur, matrimonii contractus, quantumcumque sit favorabilis, caret effectu.*

Confirmatur: Matrimonium, cum per consensum efficiatur, consistere nequit sine consensu in substantialia ipsius: Sed consensus in conditionem contrariam substantiæ matrimonii, tollit consensum in substantialia matrimonii, implicat enim ut quis recto consensu in substantialia matrimonii, simul habeat consensum in aliquid adversum & repugnans substantiæ matrimonii; nam hoc ipso quod vult id quod repugnat substantiæ matrimonii, non vult ipsam: Ergo consensus in conditionem contrariam substantiæ matrimonii, non efficit, sed potius destruit ipsum matrimonium. Unde cum matrimonium ex Dei institutione essentialiter tria includat, nempe perpetuum vinculum, quod præfertim post consummationem nullo modo potest dissolvi; mutuum fidem, sive obligationem non adulcerandi, & reddendi debitum conjugale, & obligationem non impediendi generationem, & christianè educandi prolem, si nascatur, quæcumque conditio quæ alicui ex his adversatur, matrimonium irritat.

Dices primò: Votum solenne emissum sub conditione contra ejus substantiam, ipsum non irritare, ut colligitur ex cap. Clerici vel vorantes; ibi enim expresse definitur, votum emissum a mulie-

Bbbb 3

muliere, eâ conditione ut haberet propria, & maneret in domo sua. validum fuisse: illa autem conditio contraria est substantiæ voti solemnitis, utpote cum contrarietur paupertati & obedientiæ, quæ sunt de essentia voti solemnitis: Ergo idem dicendum de matrimonio.

107. Respondeo negando Antecedens, & ad probationem ei subjunctam dico, mulierem illam emisisse suum votum cum voluntate retinendi bona quantum ad usum, ex licentia prælati, quod non contrariatur substantiæ voti & professionis solemnitis.

108. Dices secundò: Qui puerum baptizando, aquis immergit, ut eum vitæ & gratiæ regenerante privet, non irritat Baptismum, quamvis ipsum detorqueat ad contrarium finem ad quem est à Christo institutus: Ergo similiter qui consentit matrimonio sub aliqua conditione, quæ ejus fini adversatur, puta generationi, vel educationi proli, ipsum non irritat.

109. Respondeo quòd si baptizans nullam intentionem habeat, nisi immergere puerum aquis, ut illum vitæ & gratiæ regenerante privet, nullum efficit baptismum; sin autem cum hac iniqua voluntate intentionem habeat saltè confusam faciendi quod Christus instituit, & Ecclesia facit, validum efficit baptisma, ut in Tractatu de Baptismo docuimus; quia per hanc intentionem confusam intendit hoc Sacramentum in ordine ad finem ad quem est à Christo institutum, quod ad validitatem Sacramenti sufficit.

110. Dices tertio: Inter B. Virginem & S. Josephum fuit verum matrimonium, & tamen cum B. Virgo ante illud emisisset votum virginitatis, non contraxit, nisi cum conditione nunquam consentiendi in copulam carnalem: Sed hæc conditio repugnat substantiæ Matrimonij: Ergo conditio appositæ matrimonio, licet ejus substantiæ adversetur, non irritat illud.

111. Respondeo, concessâ Majori, negando Minorem, cum enim consensus in copulam carnalem non sit de essentia matrimonij, ut suo loco ostendimus, conditio nunquam consentiendi in copulam carnalem, substantiæ matrimonij non adversatur: quodnam verò sit objectum ad quod per se primò & essentialiter fertur consensus matrimonialis, dicitur articulo sequenti.

112. Dico secundò: Si quis consentiat in matrimonium, sub conditione de futuro, quæ sit contingens, & honeste fieri possit, non est matrimonium de præsentis, sed tantum contractus sponsaliorum: v.g. si quis dicat, *duco te in uxorem, si recuperaveris illam domum*. Ratio est, quia ad valorem matrimonij de præsentis, requiritur validus contractus de præsentis, & ad valorem contractus de præsentis, mutua obligatio de præsentis: quando autem apponitur conditio pendet ex futuro, tunc etiam obligatio pendet ex futuro eventu suæ conditionis, atque adeò non est de præsentis.

113. Dixi verò, cum conditione de futuro, quæ sit contingens, si enim conditio de futuro sit necessaria, v.g. si quis dicat, *contraho tecum, si crastinâ die oriatur Sol*, quoad forum externum, validum est matrimonium statim, antequam ponatur conditio; cum enim talis conditio jam certò existat in sua causa, & necessariò eventura sit in se ipsa, non est putandum personam prudentem velle suspendere consensum, donec impleatur, nec aliter ab illa videtur adici, quam ut ostendat se jam tam certò contrahere, quam illa con-

A dicio certò futura est. In foro tamen conscientie, si contrahens reverà habet animum contrahendi eventum talis conditionis, non efficit matrimonium de præsentis.

Si autem quæras, an quando quis consentit in matrimonium sub conditione de futuro contingenti, adimpletâ conditione fiat validum, absque novo consensu, vel necesse sit ut iterum consentiat, adimpletâ conditione? Respondeo probabiliter esse, & menti S. Thomæ conformiter, impletâ conditione, requiri novum consensum de præsentis, actualem, purum, & absolutum; id enim innuere videtur S. Doctor in 4. dist. 24. q. 1. unica art. 3. & hic quæst. 47. art. 5. ubi affirmat, si conditio sit de futuro contingenti, cum conditio est datio pecuniæ, vel acceptatio parentum, indicandum esse de tali consensu, licet de consensu qui sit per verba de futuro, unde non facit matrimonium, sed sponsalia: Ergo censet, ut in eo casu matrimonium contrahatur, adimpletâ conditione, poni debere novum consensum, si quo aliquo sensibili expressum.

Ratio etiam id suadet: Contractus enim matrimonij inter Christianos, eodem instanti quo validus est, est Sacramentum: At si quando quis consentit in matrimonium sub conditione de futuro contingenti, adimpletâ conditione, non ponatur novus consensus, non poterit habere tunc rationem Sacramenti: Ergo tunc non erit validum matrimonium sine novo consensu verbis expresso. Major constat, Minor probatur. Nullum novæ legis Sacramentum actu est eo tempore, quo nihil ejus physice existit, quod actu sensibile sit: Atqui dum prædicta conditio ponitur, nihil matrimonij physice existit, quod actu sensibile sit; consensus enim & verba quibus antea fuit expressus sub conditione, jam præterierunt physice, neque quidquam sensibile existit nunc physice, præter ipsam conditionem, quæ cum nihil Sacramenti sit, non potest ejus ratione, Sacramentum matrimonij dici ex altere physice, & esse actu sensibile: Ergo si adimpletâ conditione non ponatur novus consensus, si quo aliquo sensibili expressus, contractus matrimonij non poterit habere rationem Sacramenti.

Nec valet quod ait Amicus hic disp. 5. sect. 3. quòd licet reliqua Sacramenta tunc quando fiunt, requirant aliquid sensibile physicum, spectans ad ipsorum substantiam, id tamen non est necessarium in Sacramento Matrimonij, quia Christus efektivè ipsum in Sacramentum, ut est contractus civilis: contractus verò civilis ut perficiatur, non exigit aliquid sensibile & physicum tunc quando fit. Non valet, inquam, tum quia cum de ratione Sacramenti ut sit, sit est signum sensibile, repugnat aliquod Sacramentum, quodcumque illud sit, fieri & poni à parte rei, nisi aliquid physicum & sensibile ponatur quando fit: Tum etiam, quia in sententia D. Thomæ, & Discipulorum ejus, omnia Sacramenta novæ legis, etiam matrimonium, physice producant gratiam, quando fiunt: Sed matrimonium non posset physice producere gratiam, si tunc quando fit, nihil physicum poneretur, cum existentia physica sit conditio necessariò prærequisita in causâ efficiente ad hoc ut operetur: Ergo cum sit Matrimonij Sacramentum, necessariò tunc poni debet aliquid physicum & sensibile spectans ad ejus substantiam, subiecti consensus actualis & absolutus, si quo aliquo sensibili expressus.

Dices:

ARTICULUS VI.

An consensus in copulam sit de essentia matrimonij?

S. I.

Præmittitur quod serè apud omnes est certum, & sententia Gratiani rejicitur.

Gratianus cap. Quod autem & cap. Institutum 27. quæst. 2. affirmat non modò consensum in copulam, sed & copulam ipsam esse partem essentialem matrimonij, sine qua nullum matrimonium, etiam de præsententi expressum, esset validum; unde ex hoc inferit, liberum esse conjugum ante copulam à viro discedere, & alteri nubere. Idem docuerat olim Julianus, ut testatur D. Augustinus lib. 5. contra ipsam cap. 9. his verbis: Iam verò de Ioseph, cuius Mariam teste Evangelio conjugem dixi, multa diu disputas contra sententiam meam, & conaris ostendere, quia concubitus defuit, nullo modo fuisse conjugiam, ac per hoc secundum te, cum desisterint concumbere conjuges, iam non erunt conjuges, & divorcium erit illa cessatio. Quod ne contingat, agant sicut possunt decrepiti quod iuvenes agebant, & ab hoc opere ne effretur atate corporibus parcant. Non se cogitent quantum ad libidinis attinet incentiva, fenuisse, ut possint conjuges permanere.

Hæc sententia, seu potius error, communiter rejicitur à Theologis: Primò, quia cum Luce 1 & Matth. 1. Ioseph vocetur vir B. Virginis, & B. Virgo conjux ejus, fuit inter ipsos verum matrimonium, & tamen de fide est quòd non fuerit copula carnalis actus inter ipsos, cum uterque virginitatem Deo voverit. Item protoparentes in paradiso fuerunt veri conjuges, antequam se carnaliter cognoscerent, ut definit Bonifacius VIII. cap. unico de voto in 6. & colligitur ex verbis illis Adæ Genes. 2. Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, &c. Quamobrem relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ; & erunt duo in carne una. Et ex Christi verbis Matt. 19. Quod Deus conjunxit, homo non separet: conjunxit enim Deus eos in paradiso, dum illos masculum & feminam creavit, accedente mutuo eorum consensu.

Secundò, quia Ecclesia verum matrimonium agnoscit ante ullam carnalem copulam, cum Tridentinum sess. 24. can. 6. definiat, posse matrimonium ratum, non consummatum, solemnem Religionis professione dirimi, subindeque ante carnalem copulam, quæ dicitur consummari, verum ac validum esse supponat.

Favent etiam SS. Patres: Ambrosius enim de instit. virginis sic ait: Non desolato virginis statu facit conjugium, sed pactio conjugalis. Quam Ambrosii sententiam, sub aliis terminis expressit Ulpianus L. Cum fuerit, ff. de condit. & demonstrat, dicens: Nuptias non concubitus, sed consensus facit. Augustinus lib. 1. de aupt. & concup. cap. 11. Quibus (inquit) placuit ex consensu ab usu carnalis concupiscentia in perpetuum continere, absit, ut inter illos vinculum conjugale rumpatur; imò firmitus erit, quòd magis ea pacta secum inierint, quæ charius concordiusque servanda sunt, non voluptuariis corporum nexibus, sed voluntariis affectibus animorum. Item lib. 23. contra Faustum cap. 8. docet inter

Dices: Contractus conditionales, purificati conditione, absque novo contrahentium consensu, statim purificantur, & in absolutos transcunt; hæc venditio ff. de contrah. empt. Conditionales venditiones tunc perficiuntur, cum impleta fuerit conditio. Et l. potior ff. qui potiores: Cum semel conditio extitit, perinde habetur, ac si illo tempore quo stipulatio interposita est, sine conditione facta esset. Ergo etiam matrimonium sub conditione de futuro celebratum, adimpletâ conditione, statim fit validum absque novo consensu.

Respondeo, concessio Antecedente, negando Consequentiam & paritatem; Matrimonium enim, cum sit perpetuum, & perineat ad eos contractus qui traditione perficiuntur, non purificatur solo conditionis eventu, sed ob sui excellentiam, supra reliquos contractus exigit consensum perfectissimum & liberissimum, qualis non est conditionatus.

Dico tertio, Matrimonium contractum sub conditione turpi, substantia matrimonij non adveniente, ut si formicata fuerit, si alterius prolem impediverit, validum est.

Probat: Quando conditio non impedit consensum in substantialia matrimonij, ipsum non irritat: Sed conditio turpis non adversa substantia matrimonij, non impedit consensum in substantialia matrimonij, ut de se patet: Ergo ipsum non irritat.

Queres, an teneantur contrahere & celebrare matrimonium, qui sponsalia sub tali conditione contraxerunt?

Respondeo quòd etsi ante talem conditionem adimpletam, contrahentes sponsalia ad matrimonium celebrandum non obligentur, obligantur tamen eâ adimpletâ. Sicut mandans, sub certa mercede paciscens cum mandatario, pro re illicita patranda, ante executionem tenetur mandatum revocare, & mandatarius mandatum non exequi; eo tamen adimpleto, tenetur mandans in conscientia mercedem solvere, non quidem ratione patrat peccati, sed laboris impensis.

Dico quartò, Matrimonium initum sub conditione impossibili, invalidum esse in foro conscientia, quamvis in foro externo præsumatur validum.

Prima pars patet, non valet enim in foro interno matrimonium sub conditione iniqua, nisi conditio stet: At conditio de impossibilitate non potest, cum sit impossibilis. Ergo nec matrimonium initum sub conditione impossibili. Idem dicendum de conditione repugnante matrimonio, unde iste contractus invalidus est, Accipio te in uxorem, si prius re sepelieris, quia supponit matrimonium perficiendum esse post mortem, quod repugnat. Et iste: Accipio te in conjugem, si totâ vitâ tuâ non mentiaris; quia hæc quoque conditio non ponitur ante finem vitæ, supponitque matrimonium post mortem contrahi.

Secunda verò pars conclusionis constat ex Gregorio IX. cap. ultimo de conditionibus appositis, ubi sic loquitur: Si conditiones appositæ matrimonio, turpes aut impossibiles fuerint, debent propter favorem ejus, pro non adjectis haberi, scilicet in foro externo; quia nimirum nemo præsumitur aut velle peccare, aut in re adgredi gravi & sanctæ velle nugari, ac suum actum reddere irritum.

inter B. Virginem & S. Joseph exstitisse conjugium, non concubitu, sed affectu, non commixtione corporum, sed copulatione, quod est charius, animorum, & hoc exemplo magnifice inlinuatur fidelibus conjugatis, etiam servato pari consensu, posse permanere, vocarique conjugium, non commixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu, inquit lib. 2. de consensu Evangelistarum cap. 1.

125. Ratio etiam suffragatur: Usus enim Matrimonij est quidam actus & operatio ejus: Sed actus & operatio, cum significetur ut egrediens ab agente, presupponit essentiam agentis jam constitutam, ut patet in motu deorsum lapidis, presupponente essentiam lapidis jam constitutam: Ergo copula carnalis, quæ est usus Matrimonij, ipsum jam constitutum supponit, subindeque pars essentialis illius esse nequit. Idque verum est de Matrimonio non solum ut est in officium naturæ, sed etiam quatenus est Sacramentum: cum enim contractus naturalis eleve-
tur ad rationem Sacramenti, si vera ratio & essentia contractus naturalis reperitur in Matrimonio ante consummationem illius, vera etiam ratio & essentialis talis Sacramenti reperitur ante consummationem Matrimonij. Adde quod Sacramentum Matrimonij dat gratiam ad hoc ut conjuges recte Matrimonio utantur: Sed actus ad quem Sacramentum dat gratiam, non est de essentia talis Sacramenti, ut patet in Sacramento Ordinis; actus enim consecrandi, ad quem dat potestatem & gratiam, non est de ejus essentia: Ergo pariter copula carnalis, quæ est usus Matrimonij, non est de essentia Sacramenti.

126. Denique confutari potest Grati sententia ex absurdo & inconvenienti quod sequitur ex illa: Si enim copula carnalis esset pars essentialis Matrimonij, sequeretur Matrimonium non elevari ad dignitatem Sacramenti, neque gratiam sanctificantem conjugibus conferri nisi in ipso actu carnalis copulæ: Sed hoc videtur absurdum: Ergo & illud. Sequela Majoris probatur. Tunc solum Matrimonium ad dignitatem Sacramenti elevaritur, & gratiam sanctificantem conjugibus confert, cum perficitur contractus matrimonialis: Sed juxta Gratianum, contractus matrimonialis ipso carnalis copulæ actu perficitur: Ergo juxta hujus Authoris principia, Matrimonium non elevaritur ad dignitatem Sacramenti, neque gratiam confert, nisi in ipso actu carnalis copulæ. Quod est contra Florentinum in Decreto Eugenij, ubi causam efficientem Matrimonij, ut Sacramentum est, ait esse consensum, per verba de presenti expressum: non igitur ex Concilio fit Sacramentum per copulam.

§. II.

Aliqua objectiones solvuntur.

127. Contra præcedentem doctrinam obijciuntur in primis quædam sanctorum Patrum testimonia, quæ Grati sententiæ favere videntur: Ambrosius enim lib. de instit. virginum cap. 8. & in epist. 66. & Hieronymus in commentariis super Oseam cap. 4. dicunt Matrimonium initiari in conjunctione, perfici vero in corporum commixtione. Ex quo idem Hieronymus in libro adversus Helvidium infert, non fuisse verum Matrimonium inter B. Virginem & S. Josephum, & Mariam in Evangelio dici uxorem Josephi, mo-

re Scripturarum, quæ uxorem frequenter appellat, quæ tantum est desponsata: Contra inquit audieris, suspicio tibi non habetur, sed recordare consuetudinis Scripturarum, ut quædam verba, & ipsa vocentur uxores. Deum autem nus relatus à Gratiano cap. Non est datum 27. quæst. 2. ait mulierem illam non pertinere ad Matrimonium, cum qua commixtio facta non docetur fuisse.

Quidam Authores apud Bellarminum lib. de Matrim. cap. 5. ut ab his authoritatibus se impediunt, docent copulam carnalem esse partem integram Matrimonij, tam ut constitutus, quam ut Sacramentum est, hinc quædam dem perfectum essentialiter, sed non integraliter: Sicut Sacramentum Penitentiae ante perfectam satisfactionem à Confessario impenditur, est perfectum essentialiter, non integrale, cum adhuc ei ad integritatem substantialem desit pars integralis satisfactionis.

Verum hæc sententia, quam non improbat Bellarminus, ceteris Theologis displicet, & merito: Quod enim est pars integralis Sacramenti, debet habere aliquem effectum sacramentalem ex opere operato; quemadmodum satisfactio causat ex opere operato remissionem poenæ, & in sententia D. Thomæ, augmentum gratiæ, ut in Tractatu de Penit. disp. 13. artic. 4. tenentem est: Sed copula carnalis, nec augmentum gratiæ, nec alium effectum sacramentalem causat ex opere operato: Ergo non est pars integralis Sacramenti Matrimonij. Hæc ergo solutio præterminata.

Dicendum est SS. Patres citatos, dum aliter Matrimonium perfici in corporum commixtione, non loqui de perfectione Matrimonij essentiali, vel integrali, sed duntaxat accidentali, quæ attenditur secundum usum & operationem, cum enim carnalis commixtio sit quædam operatio sive usus Matrimonij, per quod facilius ad hoc datur, est quædam perfectio accidentalis illius, ut docet S. Thomas hic quæst. 42. artic. 2. Summe liter quando iidem SS. Patres dicunt Matrimonium inter Mariam & Joseph non fuisse perfectum, loquuntur de perfectione accidentali Matrimonij, non vero de essentiali & integrali. Cuius verò non dubium falso refertur à Gratiano ex D. Augustino, apud quem non extat, ut bene advertunt Censores Grati.

Obijciuntur secundo illud est de essentia Matrimonij, saltem ut Sacramenti, ratione cuius habet significationem sibi propriam & essentiali: Sed hanc non habet Matrimonium nisi ratione copulæ carnalis: Ergo copula carnalis est de essentia Matrimonij. Major patet, Minor probatur: Matrimonium est essentialiter signum expressivum unionis Christi cum natura humana, & cum Ecclesia: Sed talis conjunctio non significatur per Matrimonium, nisi ratione copulæ carnalis, ut docet Leo Papa citatus à Gratiano can. Cum societas 27. quæst. 2. his verbis: Cum societas nuptiarum sit a initio instituta sit, ut præter sexum communem non haberet in se Christi & Ecclesia Sacramentum, & item in cap. Debitam, de bigam. dicitur expresse, conjugium illud quod non est commixtione corporum consummatum, non pertinere ad illud conjugium designandum quod inter Christum & Ecclesiam, per Incarnationis mysterium est contractum: Ergo Matrimonium non habet significationem sibi propriam & essentiali, nisi ratione copulæ carnalis, ratione cuius significatur

testate humana indissolubile, cum tamen ante A
copulam, cum careat prædicta significatione,
possit solemnem Religionis professione dissolvi,
ut constat ex dicendis disputatione sequenti.

131 Respondeo, concessa Majori, negando Minorem, & ad illius probationem, nego Majorem: Significatio enim essentialis Sacramenti debet esse practica, cum Sacramentum sit essentialiter signum practicum: in Sacramento verò matrimonii significatio unionis Christi cum natura humana & cum Ecclesia, non est practica, sed merè speculativa, bene tamen significatio gratiæ conjugentis conjuges per mutuam dilectionem; unde ista quidem significatio est Sacramentum matrimonii essentialis, illa verò merè accidentalis.

Addo locum Leonis Papæ corrupte & infideliter à Gratiano referri: quasi dixerit: Cum societas nuptiarum ita à principio sit instituta, ut præter conjugationem sexuum, non habeat in se nuptia conjugationis Christi & Ecclesiæ Sacramentum. Cum potius Leo Epist. 90. alias 92. ad Rusticum cap. 4. ex qua verba illa desumpta sunt dicat: *Ve præter sexuum conjugationem, haberet in se Christi & Ecclesiæ Sacramentum.*

132 Obijciunt tertio: Si quis post votum simplex Religionis contrahat matrimonium, animo ingrediendi Religionem, ante consummationem, istud matrimonium non est Sacramentum, siquidem non confert gratiam, quia nunquam debet habere actum ad quem datur gratia Sacramentalis: Ergo sine consummatione matrimonium non habet omnia sibi essentialia.

133 Respondeo negando Antecedens, & probationem ei adjunctam; sicut enim qui intendit nunquam exequi Ordines quos suscipit, verè tamen recipit potestatem Ordinis, per se & ex natura sua ordinatam ad executionem, ita similiter in matrimonio de quo procedit obiectio, contrahens verè recipit gratiam ex natura sua ordinatam ad utendum matrimonio, licet per accidens & ex intentione contrahentis, non ordinetur tale matrimonium & gratia Sacramentalis ad copulam carnalem.

§. III.

Relatio sententiæ, principalis difficultas duplici conclusionem resolvitur.

134 Quamvis actualis copula non sit de essentiali matrimonii, nec ad ejus valorem necessariò requiratur, ut contra Gratianum ostendimus, & unanimi ferè consensu Theologi docent, certum est, & in eo omnes conveniunt, aliquem consensum in copulam, ad essentialiam & valorem matrimonii necessarium esse; quia cum matrimonium naturà sua ordinetur ad procreationem proles, & copula sit necessarium medium ad proles procreationem, nequit substantia matrimonii consistere, excluso omni consensu ad copulam. Verum qualis ad valorem & essentialiam matrimonii requiratur vel sufficiat consensus in copulam, difficile explicari potest; unde circa hoc triplex est Theologorum sententia.

Prima asserit, ad verum & perfectum matrimonium, necessarium esse explicitum consensum in copulam carnalem. Hanc sententiam, ut Gratiani opinionem ab erroris nota vindicet, probabiliter defendendam suscipit Michael Medina lib. 1. de sacrorum hominum continentia,

Tom. V.

cap. 61 & sequentibus. Ex qua infert, inter B
Virginem, & S. Josephum, non intercessisse verum matrimonium, sed tantum sponsaliticum, idque conatur probare Hieronymi testimonio paragrapho præcedenti relato & explicato. Secunda docet, neque explicitum neque implicitum consensum in copulam ex parte contrahentis, ad essentialiam & valorem matrimonii requiri, & ait ad illud sufficere consensum implicitum in copulam, ex parte ipsius contrahentis matrimonialis. Ita Sanchez, Pontius, Amicus, & plures ex Recentioribus. Tertia verò quæ communior est, & videtur probabilior, existimat ad essentialiam & valorem matrimonii sufficere & requiri consensum implicitum in copulam, non solum ex parte contrahentis, sed etiam ex parte contrahentium.

Dico ergo primò, ad essentialiam & valorem 135
matrimonii, non requiri consensum explicitum in copulam, sed sufficere implicitum. Ita D. Thomas hic quæst. 48. art. 1. ubi dicit, consentire in matrimonium, idem esse ac consentire in carnalem copulam, implicite, non explicitè: non enim debet intelligi, nisi sicut implicite continetur effectus in sua causa; quia potestas carnalis copula, in quam consentitur, est causa carnalis copula, sicut potestas utendi re sua, est causa usus. Et 3. part. quæst. 29. art. 2. in corp. asserit, omnino verum fuisse matrimonium Virginis matris Dei & Ioseph, quia uterque consentit in copulam conjugalem (id est vinculum conjugale) non autem expresse in copulam carnalem, nisi sub conditione, si Deo placeret. Item in 4. dist. 30. quæst. 2. art. 1. quæstionem 2. ad 1. Dicendum (inquit) quod copula carnalis cecidit implicite sub consensu B. Virginis, sicut actus implicite continetur in potentia potentia autem ad carnalem copulam non contrariatur virginitati, nec diminuit aliquid de puritate ipsius, nisi ratione actus, qui quidem nunquam fuit in proposito Beata Virginis, sed erat jam certificata, quod actus nunquam sequi deberet. Itaque juxta D. Thomam ad contrahendum valide matrimonium, non est necessarium, ut conjuges consecrantur explicitè in copulam, volendo eam exercere, sed possunt habere contrarium propositum, & votum nunquam eam exercendi, sicut habuit B. Virgo. Ratio est, quia ut paragr. 1. contra Gratianum docuimus, copula carnalis non est de essentiali matrimonii, sed tantum est usus potestatis per illud acceptæ: Sed potestas ab usu separari potest, & accipi potestas ad usum, sine voluntate unquam illam exercendi, imò etiam cum expressa voluntate contraria; Ergo consensus explicitus in copulam carnalem non est de essentiali matrimonii.

Confirmatur & magis illustratur hæc ratio, hoc exemplo: Sicut in fundo v. g. duplex dominium 136
distingui solet, alterum proprium ac directum, alterum utile quoad usum fructum; potestque dominium directum ab utili separari, & unum tradi sine altero, ut contingit quando dominus dat Vassallo agrum in feudum, vel Emphyteusim, tunc enim dominium directum, & supremum sibi retinet, & ad Vassallum seu Usufructuarium transfert usum fructum & dominium utile. Ita in corpore utriusque conjugis quodammodo distingui potest dominium directum à dominio utili, quoad usum copulæ, unumque ab altero separari ex mutuo pacto inter conjuges, concedendo videlicet dominium directum suorum corporum, & denegando dominium utile quoad usum copulæ, sive ad tempus, sive in perpetuum. Et hoc modo B. Virgo

Cccc

se gessit erga S. Iospphum ipsius conjugem; illi enim solum dedit dominium directum corporis sui, non autem dominium utile, sive pluri fructum sui corporis, quoad copulam, sed potius ex mutuo pacto sibi retinuit; unde non consentit explicitè in copulam carnalem, sed implicitè tantum, sicut actus implicitè continetur in potentia, ut loquitur S. Doctor suprà relatus.

- 137 Confirmatur amplius: Qui cum expresso animo ingrediendi Religionem, ante consummatum matrimonium, contrahit, validè contrahit: At hic consensus explicitum in copulam habere non potest: Ergo ad valorem matrimonii non requiritur consensus expressus in copulam. Minor patet, qui enim contrahit expresso animo ingrediendi Religionem, contrahit cum intentione & voluntate servandi perpetuam castitatem, quæ intentio seu volitio, cum consensu expresso in copulam incompatibilis est. Major vero habetur cap. Commissum, de sponsalibus, ubi Alexander III. suadet cuidam mulieri, quæ iuramentum fidei cuidam sponderat, se illum intra biennium ducturam, & postea facti pœnitens, proposuerat Religionem ingredi, ut propter reverentiam iuramenti, prius matrimonium contrahat, & postea Religionem ingrediatur: At non potuit Pontifex suadere ut matrimonium invalidum faceret: Ergo qui cum expresso animo ingrediendi Religionem, ante consummatum matrimonium contrahit, validè contrahit.

Dico secundò, ad matrimonium, implicitum consensum in copulam ex parte contrahentis necessarium esse.

- 138 Probatur: Implicitus consensus in copulam ex parte contractus matrimonialis, essentialiter & valorem matrimonii necessarius est, ut docent Sanchez, Pontius, & Amicus, contra quos disputamus: Ergo requiritur etiam consensus saltem implicitus & remotus in copulam, ex parte contrahentis. Consequentia videtur manifestè fieri enim nequit, ut intentio seu tendentia necessaria essentialiter ex parte actus, non sit etiam necessaria ex parte agentis, prout illum exercentis; cum tendentia actus vitalis non sit alia quàm tendentia ipsiusmet agentis sese exercentis circa tale objectum.

- 139 Confirmatur. Impossibile est, quemquam contrahere matrimonium, & consentire absolute in contractum matrimoniale, nisi consentiat saltem implicitè in omne id quod tali contractui est essentialiter; Sed intentio implicita in copulam est essentialis contractui matrimonii, cum matrimonium naturà suà ordinetur ad proles procreationem, & copula sit necessarium mediū ad illam; unde Augustinus lib. 2. de moribus Manich. cap. 18. Nuptia (inquit) ut ipsa nuptiales tabula clamant, liberorum procreandorum causā, materiam, feminamque coniungunt, &c. Ergo impossibile est, quemquam contrahere matrimonium, & in illud consentire absolute, absque eo quod consentiat implicitè saltem in copulam; subindeque hæc intentio, seu consensus implicitus, non solum est necessarius ex parte contractus, sed etiam ex parte ipsius contrahentis; imò videtur esse implicita in hoc quod dicunt Authores citati, nempe ad essentialitatem & valorem matrimonii, necessarium quidem esse consensum implicitum in copulam, ex parte contractus matrimonialis, sed non ex parte ipsius contrahentis.

Obijcies primò contra primam conclusionem; Omnis contractus ad sui validitatem necessarius requirit expressum consensum in objectum circa quod primò versatur: Sed contractus matrimonialis primò & per se versatur circa copulam, cum per se primò & ex natura sua ordinetur ad proles procreationem, ad quam copula medium necessarium est: Ergo matrimonium ad sui validitatem consensum expressum in copulam necessarium requirit.

Respondeo primò, negando Majorem, ad id nullum enim contractum validè incurrendum necessarius est expressus consensus in rem circa quam contractus versatur, sed sufficit virtualis & implicitus; hic enim sufficit ad actum humanum, qualem requirunt negotia humana, ut valide peragantur. Constat id tum in eo qui intentionem habet contrahendi juxta leges & consuetudines loci, licet eas ignoret: tum in eo qui sacramentum conficit, sola intentione faciendo quod facit Ecclesia.

Respondeo secundò, data Majori, negando Minorem, objectum enim circa quod per se primò versatur contractus matrimonialis, non est ipsa copula carnalis, sed dominium in corpore conjugum in ordine ad illam; unde illa non explicite sed implicitè tantum continetur in objecto matrimonii, nempe sicut effectus in causa, & utilis rei in dominio, seu potestate utendi, quæ ab actuali uti separari potest; imò & conjuges ex mutuo consensu possunt sibi invicem dare dominium directum corporis sui, retinendo sibi dominium utile quoad utrumque copulam, sive ad tempus, sive in perpetuum, ut suprà ostensum est.

Obijcies secundò cum Basilio Pontio contra secundam conclusionem: Non potest negari si nuptia temeritate, inter D. Virginem, & S. Ioseph, vel intercessisse matrimonium, illudque fuisse ab ea contractum, post emissam votum virginittatis: Sed tale matrimonium non potuit esse cum consensu in copulam ex parte contrahentis, alioquin B. Virgo peccasset contra votum; quia ut ait Augustinus in libro de bono viduitatis c. 8. & habetur in cap. Nuptiarum bonum, 17. quest. 1. post oblata Deo virginittatem per votum, non solum nubere re ipsa, sed etiam velle nubere, damnable est: Ergo ad essentialitatem & valorem matrimonii non requiritur consensus in copulam ex parte contrahentis, sed sufficit consensus implicitus ex parte ipsius contractus matrimonialis.

Respondeo primò, falsum esse quod in majori dicitur, vel supponitur, nempe B. Virginem antequam desponsaretur B. Ioseph, & cum illo iniret matrimonium, absolute virginittatem novisse; siquidem, ut ait S. Thomas 3. part. quest. 28. art. 4. cum tempore legis scriptæ oportere generationi insistere tam mulieres, quàm viros, quia secundum carnis originem cultus Dei propagabatur, antequam ex illo populo Christus nasceretur, non poterat B. Virgo ita velle contrahere matrimonium, ut absolute excluderet consummationem ejus, atque adeo ut votum virginittatis absolute emitteret ante desponsationem, sed tantum sub conditione, si Deo placeret. Subdit tamen S. Doctor in resp. ad 1. quod post desponsationem innotuit ei hoc esse Deo acceptum, & consequenter quod absolute votum virginittatis

tem, antequam ab Angelo annuntiaretur.

147 Respondeo secundo, datā Majori, negando Minorem, & ad probationem ei subjunctam dico, B. Virginem non peccasse contra votum castitatis, contrahendo matrimonium, quia divina revelatione certa erat nullum ex matrimonio virginitati suae præjudicium imminere, ut ait S. Thomas in 4. dist. 30. quæst. 2. art. 1. quæstione 2. ad 3. cujus verba supra concludimus. Aliæ verò mulieres, quæ post votum nubere volunt, peccant contra fidem Deo datam, quia se exponunt evidenti periculo consummandi, dante marito jure exigendi, tenenturque peccati reddere debitum, nisi ille voto contentus sit, aut simili obligatione sese obstringerit.

146 Obijciens tertio cum eo dem Authore: Ad essentiam matrimonii requiritur tantum, ut sit mutua animorum conjunctio, ad individuum vitæ societatem, cum diversitate sexû: Sed hoc votum reperiri potest in matrimonio contracto, sine ullo ordine & consensu in copulam ex parte contrahentis: Ergo ad essentiam & valorem matrimonii non requiritur consensus in copulam ex parte contrahentis. Major probatur, tum quia matrimonium sic definitur à Magistro tenentiarum: *Matrimonium est veri mulieris conjunctio maritalis inter legitimas personas, individuum vitæ societatem retinens.* In qua definitione nulla fit mentio de copula carnali, vel de ordine ad illam. Tum etiam, quia nihil cogit (inquit Pontus) ut asseramus, non posse esse in conjugio translationem domini corporum ad mutua obsequia utriusque sexû, sine ullo consensu in copulam ex parte ipsorum contrahentium; dominium enim distinguitur ab usu, potestque fieri contractus circa materiam domini, sine ullo ordine ad usum, imò etiam ullo profusus impedito, ut fusc antea declaravimus.

147 Respondeo primo, hoc argumentum nimis probare, & ex illo sequi quædam ex parte contractus necessarium esse consensum in copulam carnalem, sed sufficere consensum in conjunctionem animorum, & amicabilem societatem in diverso sexu: quod si verum esset, non apparet cur jure naturali non posset esse matrimonium inter fratrem & sororem, aut patrem & filiam, seculo omni ordine ad copulam, & intra solum amicabili conjunctione & societate animorum, quod absurdissimum est. Unde

148 Respondeo secundo, negando Majorem, ad matrimonium enim requiritur essentialiter, ut sit mutua conjunctio viri & feminae, in ordine ad procreationem prolis, subindeque in ordine ad carnalem copulam, quæ est medium necessarium ad illam, talisque ordo innuitur per participationem illam maritalis, in definitione matrimonii à Magistro positam. Unde si quis ordinem illum excluderet, non solum jure ad copulam ullam dante, matrimonium non contraheret, sed contractum diversæ omnino rationis iniret. Per quod patet ad primam probationem Majoris.

Ad secundam verò dico, quod licet dominium corporum quod tibi mutuo conjuges per matrimonium tradunt, ab usu eorum distinguitur, unumquodque ab altero separati possit, ex mutuo pacto inter conjuges, repugnat tamen illos in ejusmodi dominium conferre, quin implicite consentiant in copulam; cum tale dominium corporum matrimonio acquisitum, sit essentialiter jus ad copulam, & ipse in eo, ut effectus in

Tom. P.

A causa contineatur, ut loquitur Sanctus Doctor supra relatus.

Ex dictis intelliges, quod licet matrimonium inter B. Virginem & S. Josephum celebratum, caruerit aliqua perfectione accidentali, nimirum copulâ conjugali, & jure expedito ad illam, fuit tamen perfectum substantialiter, cum nihil ei defuerit ex his quæ ad substantiam matrimonii requiruntur, nempe nec traditio corporum, nec dominium dictum ipsorum, quamvis ex mutuo consensu à dominio utili, quoad usum copulæ, in d. & à consensu explicito in illam, fuerit separatim, item in eo fuit indissolubilis conjunctio animorum, & fides conjugalis perfectissima servata, variaque conjugum obsequia sibi mutuo præstata. Præterea matrimonium illud in suo genere perfectissimum fuit, cum perfectissimè affectum fuerit finem ad quem à Deo fuit institutum, qui non fuit proles ex mutuo concubitu susceptio, sed proles Spiritus sancti operante in utero B. Virginis formata procreatio & educatio; nec non alius in mystici occultatio & pudicitia B. Virginis, ac fama, honoris, & integritas virginitatis conservatio & protectio; quod hæc hujus sanctissimi matrimonii præstantiam & dignitatem mirum in modum commendat; cum enim cætera matrimonia ad perdendam & delibendam virginitatem conjugum ordinentur, illud mirabili Dei dispensatione, ad eam conservandam & protegendam institutum fuit, quod bellissimè quidam, similitudine ulmi vineam obumbrans, & à solis ardoribus protegentis, expressit, addito hoc lemmate: **PROTEGIT, NON FÆCUNDAT.** Adde potest, quod sicut vinum, quod, teste Apostolo, luxuria iacentium est, in Eucharistia sit virginis tatis germen & remedium contra luxuriam, unde & vinum germinans virginis, à Propheta appellata est matrem, quod est insensibilis virginitatis hostis, ejusque ruina & perditio, in mysterio incarnationis, & in castissimo Josephi & Mariæ connubio, virginitatis columnen, & integritatis protectorem effectum est.

DISPUTATIO V.

De indissolubilitate Matrimonii.

Cum inter matrimonii proprietates, præcipua sit ejus indissolubilitas, & de illa variae ac celebres agitari soleant quæstiones, integram de illa visum est instituere disputationem, ut difficultates illas, eâ quâ par est diligentia & perspicuitate, articulis sequentibus resolvamus.
